





DISSE<sup>R</sup>TATIO MEDICO - IVRIDICA

DE

# VENENIS

TERMINATIS ET TEMPORANEIS

QVAE GALLI

*Les Poudres de Succession  
(Successions - Füllerchen.)*

VOCANT

QVAM

P R A E S I D E

CHRISTIANO GODOFREDO  
STENTZELIO

TORGAVIENSI

ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTORE  
FACVLTATIS MEDICAE ASSESSORE ET CHIR-  
VRGIAE PROFESSORE PUBLICO.

DIE XXIV. MAII CIO IO CC XXX.

IN AUDITORIO MEDICORVM

P. P.

IOANNES GOTHELI<sup>S</sup> ARNOLD  
LOSVICENSES MISNICVS.

---

VITEBERGAE

LITTERIS EPHRAIMI GOTHELI<sup>S</sup> EICHSFELDI.

DISSESTITATIO MEDICO - IARLICIA

DE

# VENENIS

TERMINTA ET TEMPORANIES

GAVE GALEI

(successione - Erfahrung -  
VOCANT  
CHRISTIANO DOLEREO  
STINTENTIO

ALIAS CALVATRIS TITILLATIONE DOCTRI  
TACCATATIS MEDICAE ASSISTORES ET CURI  
ARGENTU HORPESCOR TUTIO

IN VENENIS MELHORIA

COLVINES GODELLUS ALLOID

MISSIVAS LITERAS



DISSERTATIO MEDICO-LEGALIS  
DE  
VENENIS TERMINATIS ET TEMPORANEIS  
*QVAE GALLI LES POVDRES DE SVC-  
CESSION VOCANT.*

I.



O dementiae, eo audaciae humana peruersitas peruersaque sedulitas processit, ut non contenta iis, quae uniuersus terrarum orbis omnesque in eo contentae creatureae possident, fouent & generant, uenenis naturalibus, se ingeniosis fraudibus sollicite totisque uiribus tradat & tum malam indolem rerum humano generi perniciosarum exasperando atque augendo, tum uaria corpora, uarias plantas, uaria alimenta & potulenta innoxia penitus omnique ueneni suspicione vacua corrumpendo, clandestinas hominis sanitati insidias struat, & uitae filium, quod pertenuet breueque natura homini dedit, nimis tempestive abrumpat. Appriime hue quadrant uerba PLINII (a) dicentis: ad nocendum praeparant

A

parant

---

(a) Histor. Natural. Lib. 29. Cap. 4.

parant se animalia, quod uero eorum tela sua, excepto homine, uenenis tingit? nos & sagittas tingimus & ferro ipsi nocentius aliquid addimus; nos & flumina inficiimus & rerum naturae elementa, ipsum quoque, quo utimur, aereum in pernicie uertimus, nec ab ullo, praeter hominem, ueneno pugnatur alieno. Ita suo tempore iam locutus est PLINIVS, quibus uerbis, perspecta praelensis aeni malitia & asturia, nunc ueretur? homines certe, quos pro uitiae humanae integritate & conseruatione deceret sollicitos esse, illi omni studio sui generis euersores evadere ambiunt, & non diuersa modo in hominum pernicie uerena componunt, sed eadem quoque sub forma alimenti & medicamenti utilissimi & tutissimi, insontibus nihilque mali timentibus offerunt, quibus modo breuiore, modo longiore temporis intervallo misere affecti atque excruciat, antequam iis secundum naturae leges pereundum, perire tenentur.

II. Non enarrabo iam diuersa uenenorum artificialium genera, nec commemorabo illorum, inuentores, non differam de eorum ingredientibus, nec anxie in prima eorum principia inquiram, nihil dicam de varia illorum compositione variaque eadem propinandi methodo, de iis saltet maleficorum artibus artificioisque fraudibus hic agam, qui sic dicta uenena terminata, temporanea, lenta & tabifica excogitantes & inuentientes, non derepente, sed successive & sensim paulatimque, absque ulla ueneni sulphione, artificiosissimam hominis machinam, que aeris prauitatem, armorum truculentiam, animantium rabiem, morborum malignitatem, aetatis incrementum elusit atque eluctata fuit, longa quasi inedia, uel chronico emaciatam exhaustamque morbo, ante destinatum iuxta leges naturae terminum destruunt.

III. Venena, de quibus hic acturi sumus, mala merito ex Veterum Iurisperitorum & Criticorum mente, appellanda; uenenum enim omne illud alias significabat, quod rei naturam immutando, sive exoptatus, sive contrarius effectus hinc resultaret, alterationem in corporibus producebat, adeoque uenenum & medica-

medicamentum synonyma erant, idemque denotabant quod Φάρμακον apud Graecos, quibus idem nunc sanitatis praesentis subsidium, morborum aduersarium & ueneni mali antidotum constituebat; nunc autem prosperae ualerudinis labefactator ipsorumque morborum & morris causa erat, in quo casu, Φάρμακον δηλητήριον, Θανατόφιρον, Θανάσιμον, Θλαβερόν, τοξικὸν dicebatur; quaerebat ira VARRO ab Hannibale, cur biberit medicamentum seu Φάρμακον, uti ait NONIUS, hoc est, uenenum pernici-  
sum? Eadem methodo ueteres Iurisperiti, qui non ad τὸ αὐτὸς ἔθος, sed ad rationes rerum genuinas genuinamque uocum si-  
gnificationem respiciebant, quando res pernicioſa & sanitati ui-  
taeque ipſi inimici denominanda, non ueneni appellatione con-  
tentia erant, sed melioris distinctionis distinctionisque conceptus er-  
go epitheton malum addebat, secuti in hoc casu ueteres eosque  
pūiores Latinos, inter quos mili occurrit CAIVS Iuriscon-  
fultus, haec de genuino uocabuli allegati uero afferens: qui ue-  
nenum dicit, dicere debet, utrum malum, an bonum: nam &  
medicamenta uenena sunt, quia eo nomine continetur, quod  
adhibitum, eius naturam, cui adhibitum est, mutat. Latini ta-  
men omnes uenenum saepius in malam partem ponunt, & pro  
arte malefica uel magica etiam in uero afferunt, ut si dicas aliqui cre-  
ptam memoriam uenenum. Conf. L. qui uenenum 236. ff. de V. S. &  
VLPIANVS L.9 f. i. ff. ad L. Aquilium.

IV. Talia pernicioſa uenena suppeditant multa animantia, pha-  
langium, uipera, tyrus, serpens, haemorrhous, aspis, natrix, ptyas,  
hypnalis, scorpio, uespa, crabro, hirudo, cantharis, lepus mari-  
nus, bufo, aranea, basiliscus, thunus, gryllus, scolopendra,  
lacerta, salpuga, stella marina, canis rabidus. Talia quoque ue-  
getabilia, a quibus alias plurimorum, imo omnium morborum  
auxilia defumuntur, fouent, ut helleborus albus, agaricus ni-  
ger, cataputia, efula, euphorbium, cicuta, hyoscyamus, opium,  
aconitum, solanum, nux uomica, colchicum, herba sardonica,  
staphis agraria, pedicularis pratensis, fungi rubri laetescentes & macu-  
losi, taxus, aristolochia rotunda, ananas, coronac imperialis  
bulbus.

bulbus. Nec parcius est numerus, nec minor eorum virtus nocendi, quae inter mineralia hominibus exitiosa reperiuntur; referenda hue, vitrum, crocus & butyrum antimoni, arsenicum, mercurius sublimatus corrosivus, praecipitatus, turpethum minerale, auripigmentum, sandaracha Graecorum, cadmia metallica, carbones fossiles, calx uiua, salia uitriolica lunae, ueneris & martis, lapis lazuli, tutia, aeris rubigo, adamas, spiritus nitri, uitrioli, salis, sulphuris, aqua fortis, aqua regia, oleum uitrioli. Multa destruit ignis, idemque praealentissimum praebet uenenum, multos mala perimit aquarum conditio, terra ipsa uenenum est, eaque plurima praebet, plurima fouet, quae interium hominibus accerfunt, & communis omnis mali uector est aer, a quo morbi tam endemii, quam epidemii generantur; nec uentus vi nocendi destituitur, cumprimis ille, qui itinere intermedio ciuitatum Bogdat & Bassora iuxta litus Euphratis & conterminorum fluviorum obseruatus Samiel h. e. uentus uenenatus dicitur, & tam perniciosus pronunciatur, ut continuo hominem, quasi flammis ignis combustum, interficiat, prout confirmant THEVENOT Part. 2. Itinerarii cap. 12. p. m. 78. & DIONISIVS CARLI Itin. lib. 2.

V. In his, quae modo comminemorauit uenena, discrepantem principiorum indolem diuersamque operationem reprehendimus; alia enim falsis acris alcalini copia gaudent, & contra acidae uirulentiae abundantia scarent alia; alia acria & simul maxime rigida & ponderosa existunt, mera massa uiseosa & terrestri constant alia; alia sal uolatile cum oleo narcoticō coniunctum habent, mere serosa sunt alia. Hinc alia ualopere fibras motrices irritando succos colliquant, tenue serum dissipant, residuam massam condensant, continuatoque stimulo solida erodunt & putredinem inducent; alia neros contrahendo canales constringunt & angustiores reddunt, succorumque motum removendo eosdem coagulant & debita mobilitate priuant; alia irritant & premunt; obstruunt & constipant alia, eaque salia impli- cando,

cando, motum humorum retardant, uel penitus fistunt; alia tenuum particularum acie in intimos uasorum extremorum recessus eluctando succos resoluunt, resolutos inspissant, olei autem narcotici adiumento fibrarum motum retardant, omnesque secretiones atque excretiones, excepta transpiratione insensibili, fistunt; alia nimis relaxando partes solidas, eas tono naturali & ui se uegete contrahendi priuant, & dyscrasiae uiscidae serofacque accumulationi ansam praebent.

VI. Nec uariar saltem respectu particularum, quibus uenena instructa sunt, effectus, sed idem quoque ualidopere a discrepante constitutione solidorum & fluidorum in subiectis, quae tale uenenum acceperunt, mutatur; in mortuis enim nihil uel parum certe operantur uenena, adeoque eadem praecipue operationes fibrarum motricium suam actionem perficiunt, unde illi, qui maiore uerbo oscillatoria nervorum, adeoque fibris rigidis & robustioribus instructi sunt, citius ueneno acri perimuntur, cum e contra illi, qui fibris laxioribus sunt praediti, seroque & massa uiscosa abundant, & hinc maxime debili & languido musculorum motu gaudent, minus detrimentum a tali ueneno sentiant, magis uero a uenenis uiscidis & terrestribus laedaantur.

VII. Merito hac ratione affirmari potest, omnia uenena esse medicamenta, omnia medicamenta uenena. Quem latet, spiritus acidos nitri, uitrioli, sulphuris, salis &c. sufficiente aquae quantitate dilutus praestantissime in febribus continuis a salis alkalini excessu prognatis, esse remedia; iidem e contra, in dyscrasia acida, maiore cumprimis dosi assumti, nec sufficienti sero temperati, uenena euadunt pessima. Idem porro euincitur exemplo spiriruum salino-uolatilium, simplicium & oleosorum, illi in morbis, quorum origo a serosa colluvie & acidae praedominio acrimoniae dependet, praeuentissimum afferunt auxilium; in febribus autem biliosis aliisque infirmitatibus, quae a salis acris & uolatilis excessu proueniunt, iidem summe perniciosi indolem & operationem ueneni obtinent.

## 6 DE VENENIS TERMINATIS

VIII. Nec effectus saltem ita mutatur, sed terminus quoque effectus iam protrahitur, iam acceleratur; distinguunt alias in uenena praesentanea, quae cito suam operationem edunt, & lenta seu chronica, quae multo temporis spatio praeterlapsa, sedemum funestorum syndrome symptomatum produnt. At enim uero, ut transcam, tum praesentanea, tum lenta uenena saepius absque ullo damno a multis deuorari, ita hoc saltem attingendum, peculiarem solidorum & fluidorum dispositionem, unde praesentaneorum uenenorum actionem remorari, nunc chronicorum operationem accelerare, ita, ut ex praesentaneis lenta, ex lentis praesentanea fiant uenena.

IX. Quale itaque iudicium de uenenis temporaneis & terminatis sit ferendum, hinc in apriecum deducitur; maximi exinde rem momenti esse puto, de horum uenenorum indole atque operatione expiscanda omnem curam adhibere, atque ipsis explicatis signis, modum eadem deregendi, deregta curandi, edocere, & demum, quae illis, qui talia uenena conficiunt, subministrant, propinuant, decernenda sit poena, explicare. Eo maior autem in huius rei enodatione sedulitas admouenda, quam plura, tam in quotidiana uita, & uitiae uictusque genere, quam in chymia & pharmacia occurrunt, quae optimorum loco ferulorum, potulentorum & medicamentorum usurpata & assatim hausta praematurum nobis interitum accersunt, & hinc catalogo uenenorum lentorum & temporaneorum merito annumeranda sunt.

X. Haud credendum a Gallis vel Italib, uenena lenta & terminata successivae & pedetentim agentia, quae *les poudres de succession* vocant, primum & recentissime esse inuenta, pristina tempora eadem iam possidebant, & tum Aegyptii & Graeci, tum Arabes & Romani artem eadem conficiendi & propinan- di cognitam perspectamque habebant. Sciebant in specie secundum GALENI (b) & PETRI BOVESTIAV in suo minoris

(b) Lib. 2. de antidotis cap. 7.

noris mundi theatro, testimonia, ORPHEVS, ORVS, MEDI-  
DESIVS, HELIODORVS & ARATVS methodum  
quinquaginta uenenorum genera conficiendi & occultandi; quid  
autem hoc loco sibi uult ars uenena occultandi? nihil certe aliud  
innuitur, quam talis uenenorum praeparatio, qua eadem non  
modo absque mali suspicione propinatur, sed propinata etiam  
diu in corpore absque exhibiti indicio ueneni retinentur, quod  
praecipue de uenenis lentis & terminatis pronunciari potest.  
Demonstratur porro huius asserti ueritas THEOPHRASTI  
(c) testimonio referentis: quod THRASIAS Mantinenensis ex  
cicuta, papauere, aconito & similibus speciebus parat uene-  
num, quod ἔνογκον πάνυ καὶ μικρόν, hoc est, exigua dosi propi-  
natum, ἀπὸνος απόλυτων, mortem scilicet per facilem omniue  
dolore liberan induxit. Idem (d) pariter de solo aconito pro-  
didit, quod illud a quibusdam ita praepareatur, ut homines  
sensim sensimque confectos, certis temporibus, videlicet bime-  
stri, trimestri, semestri, anno completo, uel etiam biennio, ui-  
ta priuare queat. Aegyptiorum Reges eadem uafritie & frau-  
de frequenter usos fuisse, confirmat AVICENNA. (e) Nec  
MITHRIDATEM hanc uenenandi & interimendi artem  
latuisse, demonstrat RHODIGINVS. (f) Corneliam ac Ser-  
giam, foeminas nobiles Romanas sciuissimam methodum istiusmodi  
uenena elaborandi, elaborata clandestinum exhibendi, recenset  
LIVIVS. (g) Huiusmodi ueneno Druſus a Seiano per Lyg-  
dum spadonem successiue, quasi hecūta emaciatus, ut fortuitus  
morbus adsimularetur, sublatus est, teste CORNEL. TA-  
CITO. (h) Venenum huiusmodi lentum & clandestinum  
Attilio Regulo Carthaginenses eum in finem dedisse, ut uiueret  
tam diu, quoad fieret permutatio, testatur A. GELLIVS, (i)  
& CI-

(c) Histor. Plant. Lib. 9. cap. 7. (d) eodem lib. cap. 16. (e) Libr.  
de uiribus cordis. (f) Antiqu. Lett. Lib. XI. cap. 13. (g) Hist. Lib.  
8. (h) Annal. lib. 4. p. m. 141. (i) Noct. Attic. lib. 6. cap. 4.

8 DE VENENIS TERMINATIS

& CICERO (k) de eodem his utitur: uenenum eiusmodi fuit, ut non statim eum interimeret, sed mortem in diem proferret eo consilio; postea uero grassante sensim ueneno cor rabiſceret. De Agrippina Claudi Imperatoris coniuge commemorat TACITVS, (l) quod eadem sceleris olim certa & oblatae occasio- nis propra, de genere ueneni consultauerit, an lendum & rabidum eligeret, aut rapidum aliquod? exquisitum Claudio dari uoluit, quod turbarer mentem & mortem differret. Huiusmodi nefanda methodo Gemes, Baiaetis Turcarum Imperatoris frater, una cum aliquor senatoribus ab Alexandro Sexto P. M. secundum JOVII (m) relationem misere excruciatus & demum uita priuatus fuit.

XI. Nec historias saltem hominum lentis dolose interceterum uenenis ueteres posteritati annotatas reliquerunt, sed ipsa quoque pessimi huius flagitii instrumenta, methodumque eadem praeparandi tradiderunt. Huc certe uidetur respexisse IVVENALIS (n) haec afferens:

*Occurrit matrona potens quae molle caloenum  
Porrectura uiro miser sitiente rubetam.*

Magis explanata & explicata eadem inueniuntur apud NICANDRI interpretem, qui modum elicendi ex rubetis uene- num temporaneum explicatur haec habet: τὴν ἐπιφάνειαν τῷ δέρματῳ πεντάτεσι ποιῶσι τραυματίαι, ἕτα τὸν ιχθώρα τύτον λαβόντες σμύγγοι βράσει καὶ πόσει, καὶ ὅντα διδόντες ἀναρρέσσον. Et ibidem ita pergit: Λαμβάνεται καὶ πετακεντόσι ὄλον τοῦ σῶμα, Φυλασσόμενοι κατὰ βαθός ποιεῖσθαι τὰ πεντήματα, αὐτὴν δὲ μόνη παλσόντες τὴν ἐπιφάνειαν τῆς σαρκός, καὶ εἰς αἴποσ- σωτον σαμιόν βαλόντες, μηρὸν ὑδωρ ἐπιρρέσσοι, καὶ τὸ ἀπορ- ρέον τέττα συμμίσγοι βροτῷ η ποτῷ καὶ ὅντας ἀναρρέσσον. Annotatione certe atque attentione hic dignum, cur non altius sint adigen-

(k) in Orat. contra Pisōnem. (l) Annal. lib. 12. p. 270. (m) Histor. lib. 12. p. m. 47. (n) Satyra 1.

adigendi stimuli, & superficies saltem vulneranda, nam haud absque ratione Nicandri Interpres adducit, quod sint Φυλασσόμενοι κατὰ βάθος ποιεῖθαι τὰ κεντημάτα, αὐτὴν δὲ μόνη πασόντες τὴν ἐπιφάνειαν τῆς σαρκὸς, h. e. omni studio caueant, ne profundius uulnus infligant, sed solam carnis superficiem stimuli percuntant. Multi cum PLINIO putant, intus iuxta cor & lienem rubetas alexipharmacum esse instrutas, ne itaque stimulus altius adactis, e corde lieneque antidotus elicatur, & uenenum rubetae in externis parribus haerens deleteria ui priuetur, omni cura internorum laesioñem uiscerum evitari; ast fabulas Plinianas hacc sapiunt, quales idem (o) de istu scorpiorum affert, quem cinere illius animantis curari, affirmat; nec meliori censura dignus DIOSCORIDES, (p) referens, scorpium tritum, uulneris ab eodem industi esse remedium; eadem ferenda sententia de asperro GALENI (q) statuentis, quod crocodilus, mus araneus, & uiperae, easdem, quas excitauerint, laesiones, eurent; his congruunt, quae VEGETIVS (r) de iecore canis uel lupi rabidi, hydrophobia, a mortu illius excitatam curant, & AETIVS (s) de alis cantharidum uirus illis inherens infringentibus, ita, ut cum aliis absque damno cantharides deglutiri queant, tradunt. Alter certe iidem sensissent, si rationali instituto examine, quod omnes partes solidae omnique uiscera de fluidorum indole participant, adeoque massa uirulenta in huiusmodi animalibus per omnia membra disseminata, eundem praefter effectum, ut etiam euentus docet, animaduertissent. Docet idem cum primis SALII obseruatio, reconsentis, lupum aliquando a uenatoribus captum, in diversa obsoniorum genera apparatus & coctum, fuisse in culpa, ut, qui illum gustauerint aut comedenterint, non multo post hydrophobia, seu rabie canina uel lupina effecti fuerint. An uenifici eadem falsa Pliniana persuasione delusi, internas rubetae partes

B

laedere

(o) Hist. N. I. 11. c. 25. (p) Lib. 6. Mat. Med. cap. 44. (q) I. de Ther. ad Pisonem, cap. 10. (r) lib. 3. Art. Veter. c. 84. (s) lib. 3. c. 49.

laedere noluerint, uel an alia causa magis rationali commoti id fecerint, determinatu admodum difficile est; quantum tamen coniectura magis fundata aſſequi licet, ex ea ratione externas faltem rubetac partes stimulis exagitatas fuisse, iudico, ne laſio-ne interioribus illata, pereat rubeta prius, quam humor ui-ru-lentus ex eadem proſtratur; cum praeterea uirus eo pernicioſius euadat, quo maior in animante irritato feruor excitatur, & quo magis idem exacerbatur atque excandescit, hinc, ne haec metho-do ſcopo ſuo fruſtrarentur uenefici, ſi interna vulnerantes ru-betac uicera eandem uita priuarent, externam faltem ſuper-ficiem pungebant & uiulerare aggrediebantur.

XII. Superius autem capite decimo adducti aſſerti, quod vulgus eruditorum fouet, originem exinde eſſe deriuandam pu-to, quia Itali Gallique prae aliis gentibus hanc peſimam uene-na lenta & terminata confiendi artem, maiori ſedilitate tenus haec excoleurunt, multique ea, quae apud antiquos Historicos proſtant monumenta, ignorent. Inter Gallorum ueneficas ex allegata ratione notissima eſt Domina de BRIAVILLIERS, quam ex tritis puluerisatiſque adamantis fragmentis & saturni facharo huiusmodi uenenum confeſſiſſe, idque ſub titulo *la poudre de ſucceſſion* aſſeruafſe & propinatſe, popularis eſt perſuafio. Hoc puluere Sereniffimum Principem Ludouicum, Marchio-nem Brandenburgensem, non ante multos annos prema-ture periiſſe, narrat SPLEIſſIVS (t).

XIII. Necellario uero hic conſtituenda diſtinctio inter ue-nena terminata, temporanea & delibitoria; haec quidem omnia maximam partem ita comparata, ut clam propinata, uel appli-cata abſque ueneni ſuſpicione mortem afferant, alia autem alijs citius ſuum exerant effectum, diuersaque ratione communice-nuntur. Per terminatum cumprimis intelligitur uenenum artificiale, cuius adiumento homo intra certum temporis ſpatium defi-nitam-

(c) Annot. ad Rapati Secret. Med. Chirurgica cap. I.

nitamque horarum, dierum, septimanarum, mensium, annorum periodum, uti quorundam fert persuasio, quasi chronico exhaustus morbo e uita tolli potest. Venenum autem temporaneum, lentum, tabificum, moratorium & chronicum dictum, quamvis rem perniciosem denotat, quae sensim sensimque solidas partes relaxando, contrahendo, uel erodendo, succosque corruptendo, eosque uel nimis condensando, uel nimis resoluendo, uitam destruit, certum uero temporis terminum non habet praescriptum, uti de terminatis creditur. Delibitoria ad utramque classem, tum ad terminata, tum ad temporanea, tum ad praesentanea, tum ad lenta pertinent, soloque modo, quo uirus corpori hominis perimendi communicatur, ab antecedentibus differunt, dum delibitoria uenena, quascunque res externas, quales sunt gladii, chirothecae, capillitia, indugia, ephippia, strophiola, ueneno quodam naturali uel artificiali, ad homines uel derepente, uel successiue interimendos, imbutas comprehendant.

XIV. Dari uenena terminata, hoc est, talia, quae proratio ne doseos, ex nutu & desiderio idem exhibentis intra certum & destinatum dierum, septimanarum, mensium, uel annorum spatium, suam operationem in omnibus subiectis aequa perficiant, multis est persuasum, ast iidem non uidentur examinasse & perpendisse uariam partium solidarum dispositionem & uariam carum vim elasticam, diuersamque & discrepantem fluidorum constitutionem, quae modo aetiuitatem & operationem ueneni retardant, modo accelerant, modo penitus infringunt atque impediunt, uti iam capite octauo demonstratum; ad quod accedit, nulla dari uenena absolute talia, sed omnia esse respectiva; nullum certe in uniuersa rerum natura prostat corpus, quod omnibus aequa animantibus sit uenenum. Serpentes multis exitium attulerunt, multi carnes eorum instar optimorum ferculorum assumerunt, uti de Poro Indorum rege multi tradunt. Quot reperiuntur, quibus araneae sunt in delicis, quale exemplum de uirgine nobili noui, & quale ALBERTVS MAGNVS

(u) de uirgine Colonienſi refert, cum eadem aliis mortem ac-  
cerſant. Vipera multis maxime inimica & pernicioſa, multis  
econtra eadē, cumprimitis elephantiſi laborantibus optimam  
praeber medicinam. Tarantula hominibus maxime noxia &  
uenenata, quae tamen ualde grata ouibus in Persia, a quibus  
maxima ſedulitate conquiritur, & magno appetitu, ſine ullo de-  
trimento degluitur, uti teſtatur OLEARIVS. (x) Napellum  
multos uita priuaſſe, res eſt omnibus physicis notiſiſima, eodem  
tamen anum quandam Atheniensem nutritam fuſſe, commemo-  
rat GALENVS. (y) Eodem ueneno ſuſtentatam fuſſe puel-  
lam, quae concubens cum iuuenib⁹ purulenta eosdem im-  
buendo maſſa, uel repentinum, uel lentum procurabat interi-  
rum, refert AVICENNA (z). Idem de uirgine Alexan-  
dro Magno ab Indorum rege transmiſſa recenſet AVER-  
ROE (a). Nux uomica canibus & felibus lethaliſ, ab aliis a-  
nimantibus ſine danno deuoratur. Eadem nux ipſis canibus mi-  
nuſ pernicioſa ſentitur, ſi larga aceti, lat̄is, uel butyri quantitas  
prius in os iniecta fuſit. Cum igitur cerrum ſit, venena omnia,  
pro uaria particularum, quibus inſtructa ſunt, textura & figura,  
diuersaque fluidorum & ſolidorum, in quaे & per quaē ope-  
rantur, uarios fortiri effectus, adeoque eorum operationem non  
fieri ad modum activitatis ſed receptiuitatis, hinc manifeſte li-  
quet, uenena magnam mutationem in corporibus, quaē ſubie-  
runt, ſuſtinere. Ita uenenum acré ſubiecto pituitae copia la-  
boranti, ob laxitatem & debilem uim oscillatoriam fibrarum  
motricium, maſſaeque ſerosae & tenaciſ aeria ſalium ſpicula im-  
plicantis copiam, parum efficiet, & ſi aliquam inducit laefio-  
nen, tardior & leuior eadem erit. Contrarium animaduertas  
in illis, quibus partes ſolidae rigidiore & hinc forteſe elatere  
praeditæ, ſuccique tenuiores, acriores & parciores; alliden-  
tes

(u) lib. I. de animal. c. 8. (x) Legat. Persic. l. 4. (y) lib. 3 ſimpli-  
cium c. 18. (z) S. 4. fen. 6. tract. I. cap. 21. (a) in Proemio lib.  
3. Phyſicorum.

tes enim particulae acres ad fibras motrices machinae maxime elasticas ad cerebriorem & fortiorum oscillationem easdem compellunt, ita, ut eadem non modo deterantur, erodantur atque inflammentur, sed humores quoque tenues & gelatinosi dissipentur, relieta massa acri & pirituosa. Vti autem uenena acria allegatae constitutionis hominibus repentinam afferunt perniciem, ita obserues, uiscida & terrestria uenena, iisdem minus detrimentum afferre, cum robore fibrarum, uiscida, cerebriores contractionibus resoluantur, & sufficienter comminuta ad debitam redigantur fluiditatem; aliter eadem operantur in iis, qui corpus uiscidis impuritatibus oppletum habent, & quorum fibrae laxiores & flaccidae existunt; in his enim, ob deficiens solidorum robur, quod ad uiscida attenuanda requiritur, obstrunctiones, stagnationes, compressiones, apoplexia, catarrhus suffocatius & repentina mors oritur. Exacte ad nostrae explicationem sententiae quadrant, quae SENNER T V S (b) habet: experientia, inquit, obseruatum est, in eadem mensa, pluribus idem uenenum a uenefico propinatum fuisse, non tamen omnes eodem tempore obiisse, sed alios mox, alios post aliquor dies, alias post aliquor menses, alias praeter lapsu anni spatio. Confirmantur haec exemplo Alexandri Sexti Pontificis & Caesaris Borgiae, qui Alexandri nothus ex Vanaoria Romana erat, ille enim unum idemque uenenum Senatoribus conuiuis paratum, cuius adiumento dictus Borgia locupletissimos quosque, & inter eos Cardinalem Borgiam cognarum suum iam sustulerat, ac quo multis aliis innocentibus interitus adhuc minabatur, cum in villa Vaticana coenarent, permutatis incaute a poculorum ministro lagenis, haurientes diuersum senserunt effectum, periit quippe secundum IOVII (c) & GARINBERTI (d) testimonia, Alexander Sextus, euasitque illaeius omnisque incommodi expers Caesar Borgia. Huc quoque spestar, quod HEN-

B 3

RICVS

(b) Lib. 2. Praxeos cap. 22. (c) lib. 8. Histor. (d) Libr. 5. de Vitis Pontificum.

RICVS ab HEER (e) habet de pluribus hominibus, qui uice oryzae arsenicum farinae edulio mixtum comederunt, quorum alii, qui parum ederant biberantque, statim sublati fuerunt, alii, qui maiorem assumerant quantitatem, excitato uomitu, & hinc reiecta maximam partem massa virulenta, pristinam eamque integrum recuperarunt ualetudinem, ac longo temporis spatio praeterlapso, fatis demum concedere.

XIV. Quemadmodum uero exinde demonstratur, sic dicta ueneraa terminata in his subito, uel citius, quam desideratur, in illis tardius, uel plane non cum, quem efflagitat propinans, effectum exerere, ita pariter certum, quod, si ueneficus illius, quem interimere gestit, idiosyncrasiam exacte perspectam habeat, & illius nouerit robur, calleatque ueneni, quod propinare decreuit, indolem & modum operandi, non temporaneum modo & lento, sed terminatum etiam, quod certo temporis decursu actionem suam absoluat, uenenum, praeparare queat. Illustrari hoc potest historia, quam subministrat POLYDORVS, (f) qui referens Ioannis Anglorum Regis maleolum in suam gentem animum nefandaque illius facinora, his concitatum monachum continuo Regi uenenum uino infusum, a se prius degustatum, quo omnis abesset suspicio partim, partim Rex liberius biberet, exhibuisse, eoque factum, ut ambo, tum Rex, tum monachus uno eodemque fere temporis puncto animam efflarent, memoriae prodidit.

XV. Idem uero corporis status hic semper requiritur, idem ordo in motu & quiete, eadem in usu ratio, idem in reliquarum rerum usu moderamen, iis enim mutatis, ueneni quoque mutatur, & uel promouetur, uel retardatur, aut plane inhibetur operatio; propinato ita ueneno alcalino terminato, interitus usu alimentorum, porulentorum & medicamentorum uinosorum, aromaticorum, salino-volatilem & sulphureorum, crebriore & fortiore corporis exercitio, mentisque feruore atque

(e) Libr. Select. obseruat. Histor. 16. (f) lib. 14. Anglicae Historiae.

que exacerbatione adiuuatur atque acceleratur, qui acidis, se-  
rosis, uiscosis, gummosis, oleosis & terrestribus, uita sedentaria  
& tranquilla, uel leniore motu, animique moderatione, si  
non praecaueri, & penitus impediri, retardari tamen potuisse-  
set. E contra deprehendas, si uenenum terminatum ex satur-  
nitinis, gypseis & cretaceis obstruentibus atque adstringentibus  
constat, remedia uiscosa aliaque, quorum modo iniecta mentio,  
non antidoti, sed pessimi ueneni munere fungi.

XVI. Ad haec sedulo attendentes manifesto compericemus, uenena non agere, nisi quatenus applicantur solidis; so-  
lida uero per robur & elasticitatem suam, uenena hinc & inde  
protrudendo, alterare & corrumpere humores; uenenum ita,  
quod interne usurpatum ex allegata ratione citam assert mortem,  
externe applicatum nonnisi tarde suum exerit effectum; constat  
idem exemplo auripigmenti albi & mercurii sublimati, quae ore  
hausta, nisi illico conueniens antidotus exhibeatur, ui & contractio-  
ne fibrarum fortiore, suarumque particularum acumine, rigiditate  
& grauitate, breui afferunt interitum; si uero illa uenena, ex-  
terne, eadem, imo maiori quantitate adhibeas, exulcerant qui-  
dem, lassionem & corruptionem tum solidis, tum fluidis ma-  
chine humanae inducunt, sed cum fixa sint, & partibus crassis  
& rigidiорibus constent, nec immediare internorum canalium  
fibris elasticis applicantur, eadem nonnisi tarde & multo tem-  
poris spatio praeterlapsò interficere solent. Ad haec subducta  
secum ratione respexisse puto CARDANVM (g) sequenti-  
bus usum: dum natura, h. e. *mechanica solidorum fabrica*, in ue-  
nenum agit, etiam illud eodem medio agit in naturam; quo-  
circa in ualde senibus irrita sit uenenorum natura, quoniam cal-  
lor, hoc est, *uis contractilis solidorum, tanquam caloris causa*,  
extinguitur.

XVII. Varia itaque solidorum uis, praecipua est causa ua-  
rii propinctorum uenenorum effectus; quod autem particularis  
foli-

(g) lib. 3. de uenenis cap. 6.

solidorum structura faciat, inquit BAGLIVIUS, (h) ut ea pro varietate structurae uniuscuiusque varie resistant in suis motibus, funium experimenta abunde docent; aliam enim resistentiam & vim habent funes lino, cannabe sericoque, aliam uero lana, animalium intestinis ramisque arborum contexti. Quo itaque fibrae magis elasticæ, eo magis allidentibus uenenorum acrum spiculis resistunt, quo magis resistunt, eo uehementius attritus, eo maior erosio, eo periculosior inflamatio gangrenosa, citior sphacelus & mors; quo uehementius enim corpora elasticæ extra locum suæ quietis deducuntur, eo etiam uelocius, eo fortius fibi relata resilunt, ualidiusque percutiunt; experiri ita, homines, quo robustiores, hoc est, quo uis fibrarum contractilis maior, quo maior elasticitas, eo magis eosdem ab acribus uenenis laedi. Liquet idem exemplo rusticorum & aliorum uillis rigidis praeditorum, illi ex propinato ueneno acri uolatili longe peius se habeant citiusque perimentur, quam molles atque effeminati, qui otiosam degunt uitam, & fibras ex defectu exercitii flaccidas possident; uti enim in his, ob nimiam uillorum laxitatem & debilitatem, uis oscillatoria maxime torpet, atque hinc flaccidis mucoque copioso obductis canaliculis acris spicula ueneni inhaerentia uix uel plane non sentiuntur, nihilque efficiunt, unde quoque in prompta est ratio, cur fortissima purgantia in debilibus frustra usurpentur; ita econtra turicolae, contrahentibus se, ob frequens & continuum ferme corporis exercitium, intenſe & fortiter uillorum elateribus, & uehementius in uenenum impulsantibus, uehementes conuulsiones, solidorum erosiones, fluidorum resolutio atque acredo cum repentina morte contingunt; unde sapienter RAMAZZINI (i) monuit: rusticam gentem magna remedia difficultius tolerare, quam urbanam; quod etiam innuit HIPPOCRATES (k) dicens: ἡλίογον ἐπικάνθουν τοῖσι ταῖς σάρκας υγείας ἔχουσι.

(h) Libr. 1. de fibra motrice, cap. 7. (i) Libr. de morb. artific. cap. 41. (k) Sect. IV. aphorismo 16.

*έχουσι σπασμὸν γὰς ἵμποιεν*, hoc est, helleborum periculum esse sanas carnes habentibus, conuulsionem enim inducere; per sanas autem carnes nihil aliud, quam fibrae frequenti exercitio obduratas atque elasticae redditae intelliguntur.

XVIII. Quo igitur Medicus scire queat, an uenenum, & quale sit propinatum, deinceps qua methodo & quibus remediis ad symptomata exinde orta mitiganda & curanda uti debeat, duo examinanda sunt, exhibiti primum ueneni indoles, deinceps subiecti, quod tale bibit, dispositio. Hoc autem alia ratione haud perfici potest, quam si tam antecedentem, quam praesentem huiusmodi hominis statum, perpendamus, ac comparatione cum diuersa uariorum uenenorum operatione & praesentibus, quibus aegrotus affligitur, symptomatibus, instituta, demum, quale sit, eruamus. Ita, si huiusmodi uenenum ex alcalinis fuerit praeparatum, eiusdem deglutitionem dolor pungens cum ardore & siti uix sedanda sequetur, prosternerit pedetentiam appetitus, tandem idem penitus euaneat; aer, qui exspiratione emititur, foetorem puräsentis instar cadaueris secum geret, & continuo sapor carnis ferinae uel putrefactae similis urinæ sentietur; cutis maxime arida euader, maculisque cineritiis, plumbeis, nigrisue erosâ deturpabitur; defecitus feri tenuis & gelatinosi in roto corpore, praesertim in ore, fauibus, naribus & oculis animaduertetur; sudor, qui prorumpit, hircinam graueolentiam exhibebit; urina acris, crassa, obscura, spumam superne ostendens copiosam & putridae modo carnis olens excernetur; excrementa aluina soluta, nigra & cadauerosa deponentur, & tandem pustulae diuersi coloris malique moris, quae cum uehementi conuentione inflammatione subito in gangraenam sphacelumque degenerant, oborientur. Tale uenenum, hisse aquam Italæ Arqueta dictam, arbitror, cuius adiumento foeminae quaedam Romanæ sub Pontifice Alexandro septimo, excitata uehementissima febre ardente, nonnisi succo citri curanda, magnam hominum copiam e uita fustulerunt.

XIX. Si ad aegrotum, cui tale uenenum alcalinum matorium exhibitum fuit, accessatur Medicus, optime corruptis miseri hominis rebus consulter, si frequentem tamarindorum in infuso adhibendorum usum praescribat, & deinceps quotidie huic potui interponatur largior cremenis tartari in aqua fontana soluti dosis; nec non oleum uitrioli aut alia generosa similis indolis acida ad guttas aliquot praescripta & copioso sero diluta. Ordinarii loco potus bibat acidum lactis serum, vel decoctum cerasorum nigrorum, aut soluantur succus mori insipissatus in aqua fontana. Alimenta, quibus uescatur, sint fructus horaci, quaueis farinosa & acida atque ex iisdem paratae puliculae & iuscula, lac caprillum, aspinum, humanum, serum lactis, lac eburyratum & defloratum. Euitanda econtra, quaueis acria uolatilia, aromaticae; exulet efsus carnium, usus uini, spiritus uini & aliorum similis farinae alimentorum, potulentorum & medicamentorum. Si his nihil efficias, conclamatum certe, & uenenum nimis altas egiradices, atque indueta profundiore uisceribus corruptione, omnem reuonauescentiae spem admet.

XX. Venena autem alcalina, nonnisi in minore quantitate exhibita, uel oleosis, serosis aut acidis temperata, sunt uenena lenta & temporanea, eadem quippe alias praesentanea, ceteris paribus, constituant. Variae autem huiusmodi uenenorum species, tum ueteribus, tum recentioribus notae prostant. Huc pertinet uenenum alcalinum lentum, quod a bufonibus diuersa methodo pessimae homines indolis solente elicere; ali enim commemorata animantia sanitati & uitae hominum inimica stimulis irritant, irritata liquorem saniosum fundere cogunt, quem deinceps excipientes, alimentis potulentisque in refracta dosi immiscent, repetitoque per uices illius ufo successive quasi hectica affectos interrimunt infontes. Alii dictam uenenatam facculis oblongis includunt, additoque sale indicae magnitudinem nucis aequante, frequentius & fortius tandem ad mortrem usque exigitant & concurvant, donec

donec emissio liquore saliuali, lotio, sudore, aliisque excrementis, sal virulentum reddatur, quod deinceps epulis additum successuam tabem, perfectumque demum marasmum, & mortem inducit lentam. Alii rubetam in sale sepeliunt, ac per dimidium mensis spatium in fimo detinent, sal deinceps separant, separamus alteruant, asperuatum esculentis eliquant, quibus successuue pariter moriuntur, qui huiusmodi alimenta acceperunt. Alii rubetam cum aspide uasi destillatorio plumbeo immittunt, utramque bestiam uerberibus irritant, additur deinceps euphorbium & crystalli, ac leuiter feruentes subiiciuntur prunae, igne que paulatim aucto aquam prolixiunt perniciosem, quam plumbœ pyxide seruant, curis, si quotidie gutta in mensa exhibetur, sensim sensim corpus tibi afficit, & citius uel tardius, pro uaria illius, qui idem hausit, constitutione, necat, vti affirmat IOH. BAPTISTA PORTA (l); quod tenendum contra LIBAVIVM (m), qui de adducta aqua affirmat, quod per eandem interitus in certos temporum articulos disponi possit. Alii bufonem grandem in uepribus degentem, dorso tuberculis exasperato horridum aeneo uasi condunt, additisque panis lineis saliuam excipiunt, qua alimenta, potulenta aliasque res inficiendo multos uita priuant. Alii pateram argenteam profundiorem accipiunt, eaque rubetam cooperiunt, & admotis deinceps carbonibus paullatim decoquunt, premotaque exhalatione virulenta bufonis, patera eadem inficitur, cui deinceps uinum infunditur, quo idem perpetratrū feciſ. Alii bufones comburunt, uel exiccant, pulueremque exinde conficiunt, cuius exigua quantitate, uel epulis, uel medicamentis addita, illi, qui hoc accipiunt, successuue consumuntur.

XXI. Commendatur quidem IOH. BAPT. PORTA (n)

C 2

contra

(l) Mag. Natural. lib. 2, cap. 19, p. 155. quae Antwerpiae ex officina Plantini Ao. 1585. prodit, in illa enim, quae Lugd. Bat. 1644. edita fuit, non reperitur. (m) Batrachorum lib. 2, c. 18. p. m. 390.

(n) Mag. Nat. l. 2, c. 19, p. 156.

contra speciale hoc uenenum alcalinum, tanquam praestantissima antidotus, lapis rubetae peculiari acquisitus arte; hoc enim cum ueneno deglutito corpus innoxium atque ab omni corruptione immune conseruari, idem affirmat; cum uero laudati experientum effectus adhuc desidererur, sanaque ratio contrarium suadeat, asserto PORTAE haud subscribendum puto, & hoc eo magis, cum ipsem fateatur, lapidem illum nihil aliud esse, quam os e bufonis capite desumtum; idem dehinc non alias, sed similes certe, cum uenenis e rubeta prolectis vires obtinebit. Melius igitur erit, si mox in principio copiosum lacum larga olei quantitate iunctum hauriat ueneno infectus, ac procurato uomitiu[m] mala[m] uirulentam uenitriculo inhaerentem remouere annitur, quo factio, serosa, lactea, acida, quae capite decimo nono commendata fuerunt, ad reliquias ueneni in sanguine atque intra viscera subsistentis corrigendas arque expurgandas eosunque continuanda sunt, donec disparentibus omnibus symptomatibus, de integra prosperae ualitudinis reparacione certi simus.

XXII. Ad uenena alcalina moratoria suo iure rabidi canis quodammodo referendum; ilud uero, uel huius animalis morsu cum saliuia communicatur, uel idem ab eodem encato separatum cibisque additum successuam inducit tabem. En pessimos ueneficorum mores! quibus haud sufficit, canes rabiie affici, sed illi sanis quoque idem inducendo malum, hominum vitae insidiantur. Hunc in finem uenefici, ferocioris canem indolis, ferreis alligatum catenis, sifio feruente, continuo laceffunt, irritant, exagitant, & tandem panis feruentis mox ex libano extracti micam aestuantem obiiciunt, qua deglutita, magis adhuc eundem baculis percutiendo & pungendo exacerbant, ac quanquam summa idem excrucietur siti, omnia potulenta degnent, donec tandem succis nimia resolutione in acre alcalinum uenenum commutatis, internae partes gangraenosam contrahant inflammationem, & canis ad summam adactus rabiem largam spumae

spumae copiam prae ore ostendat; hac praesente, tanquam certo summi furoris uehementissimique attritus indicio, illico uno eoque fortiore clavae iectu canis caput contundunt, spumam abstergunt, abstersam siccant, siccaram minima quantitate alimentis admiscant, admista per repetitas uices mortem successiue procurant. Ab eadem corruptae faliuae conditione, seu ueneno alcalino faliuae inherente deriuanda functa, quae rabidi morbum canis sequuntur symptomata, atrocissimus scilicet capitis dolor, tristitia, vigiliae, somnia ingrata, hominum lucisque fuga, terror, raucedo, sitis, urinae retentio, inquies, aquae omniumque liquidorum metus, febris cum intenso faciei rubore. Non omnia uero in omnibus uno eodemque uel statu certoque tempore accidunt, sed in hoc alia, alia in illo animaduertuntur incommoda; hunc citius, illum tardius eadem inaudunt. Raro demorsa ante uigesimum trigesimumque diem, aliquod, praeter uulnus, corporis mentisque malum sentiunt. Multi praeterlapsi quadraginta sexagintaque dierum, uel nouem septimanarum spatio, in hydrophobiam incident. De Tridente BALDO, Iurisconsulto famigeratissimo, notum est, quod quarto, post acceptum a catello melitaeo minutissimum in labii uulnus, mens, in hydrophobiā inciderit eaque obierit. Idem Alexandro BROSCAE ex carelli oculo, teste CARDANO, (o)uenit. De mercatore Gallo commemorat IOH. CHR. LANGIVS, (p)eundem a cane cominorsum per integras nouem septimanas nullum percepisse incommodum, his uero praeterlapsi, in urinas suppressionem & perfectam hydrophobiam incidisse. Idem uenenum maiores quandoque moras in aliis necit, & post sextum, septimum & octauum mensem sui praesentiam repentina grauium symptomatum accessione manifestat, qualia exempla BARICELLVS (q) suppeditat. Per integros septem annos canis virus in corpore la-

C 3

tuuisse

(o) Contr. Med. l. 2. Tr. 5. contr. 10. (p) Oper. Med. Part. 2. cap. 19. §. 5. p. m. 123. & Caiu. 8. p. 245. (q) Hert. gen. p. 157.

tuile, nec ullis signis sui praesentiam prodidisse, restatur PAV-LVS AEGINETA, & post sex octoquo annos emensos, hoc uenenum in corpore absconditum, in actum fuisse deductum, auctore GALENO percipimus; quin elapsis duodecim & octodecim, a morsu canis rabidi, annis, hydrophobiam accessisse, exempla apud BARICELLVM(r) & FORESTM(s) annotata luculenter demonstrant. Alius corporis stans, alia solidorum & fluidorum constitutio concipienda in satrifice illa, cuius COELIVS AVRELIANVS (t) facit mentionem, quae, cum chlamydem rabidis morsibus canis scissam sarcendam sumeret, atque ore stamina componeret, & lingua pannorum suturas lamberet affuendo, quo transitum acus faceret faciliorem, tertia die in rabiem incidit. Cum uero diu saepe rabidi uirus canis in extremis demorsorum uasis absque ullo mali imminentis indicio latiter absconditum, atque illius operatio in quibusdam admodum tarda sit, adeo, ut multis ob sui morbam ignotum penitus fuerit, illique certa secundae firmaeque ualeruditinis fiducia occupati, consolidato, quod rabidus canis induxerat, uulnere, de nulla re minus, quam de imminentे calamitate cogitauerint, hinc sufficienter demonstratur, praecipuam huius mali curam in praeseruatione, sufficiente scilicet uulneris & corporis demorsi mundificatione per bezoardica acida, oxylapathum, &c. ac promotam his sudoris urinaeque secretionem consistere, uti praeter AETIVM, historia M. N. C. Dec. I. Anno 3. obs. 302. annotata confirmat.

XXIII. Haud multum a superius descripti genio ueneni perniciosum Tarantulae, quam alias Phalangium & Rutelam uespalem dicunt, uirus differre reor; si enim actis feruorem, qui in Apulia, (ubi maximam uim nocendi hahent phalangia), diebus prasertim canicularibus regnat, considero, si porro perpendo, haec animalia in frigidis climatis reperta nullum indu-

(r) lib. & loc. cit. (s) de morbis cerebri lib. 28. cap. 10. (t) de Acur. morb. lib. 3. cap. 9.

inducere detrimentum, ac ueneni suspicione carere, non aliunde, quam a spirituosa & alcalina acri oleosa massa, perniciem, quam inordendo inducunt rutelae ueſpales, deriuare poſſum. Miror cerre, quod HELMONTI VS (u) falſa deluſus perſuaſione ſcripſerit, tarantulas Anno 1540. ſub Paulo III. Ponifice Romano primum appauiſſe; ſi HELMONTI VS inſpexiſſet, filegiſſet NICANDRVM uerem Poetam & Medicum Grae-  
cum, qui iam ſuo tempore multum ſtudi, multum laboris deſcribendis Phalangiis, enodandaque eorum virulentiae impen-  
dit, nunquam in illum maniſteſtum errorem incidiſſet. Ad preſentanea uenena, quae cito perimunt, uolatile alcalinum, de  
quō agimus, tarantulae uirus, alias reſerendum, aſt cum ſecun-  
dum dataſ paginiſ & capitibꝫ antecedentibꝫ demonſtrationes  
per uariam ſolidorum & fluidorum, qua laeti gaudent, diſpoſi-  
tionem, tum effectuſ, tum terminuſ effectuſ mutetur, minime  
mirandum, ſi idem quoque in ueneti tarantulae operatione ob-  
ſeruerimus. Dehinc non modo a tarantula demorbiſ diuerſa ac-  
cidunt ſympromata, & uigiliae perpetuae aliis, aliis nimius pro-  
funduſ ſomnus moleſtiam creant; hos melancholia, moeſtitia & conſtaſſ silentium, illos riſiſ, loquendi ſaltandique deſi-  
derium uexat; in iſterum incident alii, alios lenta corrumpit  
tabes; ſed ipſi etiam aegroti tam uariis miſere affecti ſympo-  
matibus nunc derepenſe pereunt, uel musicoruſ concentu in-  
ſtrumentoruſ reſtituuntur, aunc reſtituri, uel integra per to-  
tius uitae decurſum ualerudine fruantur, uel perfectae perſua-  
ſione ſanitatis deluſi acerbiorem omnium, quae ſupra adduxi,  
ſympromatum recidiuam experientur, haud raro enim euuenit,  
ut poſt annum, imo ſinguliſ totius uitac annis, camprimis die-  
bus canicularibus, uenenum, quod harmonicuſ instrumentoruſ  
musicoruſ concentu & hunc ſequente ſaltu fugatum uidebatur,  
uires priſtinas aeris feruore moruque muſcularum fortiore re-  
euperet,

(u) Libr. qui inſcribitur Tumulus Peſlis.

cuperet, morbique iamdudum profligati funestum procuret redditum; unde fabula vulgo nata est, quod a phalangio demorsis tamdiu sit saltandum, quamdiu ipsum uixerit animal, quod uilnus induxit, cuius commenti ingeniosam & solidam refutationem, cum pluribus nostram materiam illustrantibus obseruationibus, apud ATHANAS. KIRCHERVM(x) & BAGLIVIVM(y) innenies.

XXIV. Ad haec, quae de tarda & successiva ueneni alcalini a rabido cane tarantulaque desumti operatione adduxi, illustranda, egregie faciunt, quae circa febres continuas, malignas, exanthematicas, obseruamus. Misina, seu uenenum variolarum, nobiscum ex utero asportamus, quo demonstremus certitudinem asserti Hippocratici, ὅλον τὸν ἀνθρώπον εἰν τῆς γενετῆς οὐσίαν· idem uenenum diu in sanguine & uiceribus fouemus, donec tandem quæta nimis ueneni quantitate, uel illius exasperata acrimonia, derepente uehementi ardore, siti, uomiti, conuulsionibus, anxietate, inquiete, & ipsa exanthematum eruptione se prodat. Non aliunde uero, quam a ueneno alcalino, quod motu suo effreni, attrituque sortiore putrefactionem inducit, huius mali origo deriuanda. His in aprico positis facile exinde colligas, quam male illi Medici aegrotis proficiant, qui uehementi conclauis stragulorumque inectorum calore, ac sic dictis bezoardicis volatilibus, uariolas, uti dicunt, expellere student; augetur hac ratione salis alcalini copia atque acrimonia, maior solidorum fit attritus, gelatina nimis resoluta per urinam, sudorem, aluum & saliuam dispellitur, unde impenfior aestus, siti, putrefactio, gangraena, sphacelus, & hunc certo sequens mors; sola acida & terrea acidis saturata, serosis iuncta & temperata, si rationalis methodus medendi adhibenda, hic locum inueniunt. Idem de morbillis, petechiis & purpura, quod de ueneno variolarum dixi, obseruandum; fide enim haud dignum, hos morbos, a causis manifestis,

(x) in Phonurgia Part. 2. libr. 2. cap. 4. p. m. 144. & sequ. (y) Tract. de Tarantula, a cap. 1. usque ad 10.

festis, quibus alias eorum origo tribuitur, esse deriuandos; iam dudum adfuit materia peccans, diu iam in corpore latuit harum infirmitatum uenenum, mentis uero exacerbatio, uel aeris repentina mutatio, aliaeque plures huiusmodi res, in quas alias horum morborum culpa coniicitur, occasionem saltē, qua absconditum in corpore virus nouas accepit uires, a quibus corpori sumum, imminet detrimentum, subministrarunt; augerur enim successiue materiae morbifcae quantitas, & paulatim mala illius qualitas intenditur, ea rāmen tam diu absque notabili incommodo & laesione, liquidis machinae inhaeret & per solida transit, quamdiu adhuc inter reliquas particulas aliqualis proportio adest, omni autem aequilibrio sublatu, alteraque prae altera dyscrasia nimis praedominante, miserrimus corporis status in propinquuo est, ἀτρόως, inquit HIPPOCRATES (z) ἐνΦαινοντα  
πατά μικρὸν συλλεγόμενα, hoc est, confertim & cum impetu prorumpunt paulatim collecta. Qui de horum, de quibus rebus hac disserui, certitudine anceps adhuc haeret, expendat subiecta subiectorumque illorum, quae dictis morbis obnoxia deprehenduntur, idiosynrasiam; illa, dyscrasia alcalina, adeoque alcalini praesentia ueneni laborare, si omnia phaenomena, tam naturalia, quam praeternaturalia, cunprimis antecedentia sedulo secum examinat, deprehendet. Galli & Itali his morbis magis obnoxii, quam Dani & Sueci. Magnates eorumque ministri, qui praeter continuum carnis ferarum usum, uina generosa aliaque potuenta spirituosa in magna copia hauriunt, frequenter febribus continuis malignis afficiuntur, cum ruricola lacte, laeticiniis, ouis, laetitia, butyro, caseo, pane & aqua contenti immunem ab his malis uitam degant, aut perquam pauci rarissime dictis tententur incommodis. Hocce uero febrium malignarum virus, quod diu in corpore occultum haesit, nunc dereumente, multis iisque uehementibus symptomatis, corpus,

D

quod

(z) libr. de diaeta, 1.

quod maxime sanum putabant omnes, inuadit; nunc paulatim & pederentim futurum accetum, impensiore siti, appetitu diminuto, spontanea lassitudine aliisque incommodis, tanquam imminentis mali prodromis praefagit, cum uero dicta symptomata mitiora sint, & remittant iterum abeantque, minus se aegrotare, tunc existimant; imo in ipso saepius febris malignae principio, omnia incommoda, tum aegrotu, tum imperitis medicis tam leuia uidentur, ut neglecto opportuno medendi tempore, tum tandem, cum morbus imperu uehementiore facto, saeuorum & ferocium symptomatum congerie malignitatem manifestat, de conuenienti medendi methodo nimis sero cogitent; non enim hic speciosis symptomatum blandimentis fidendum, sed illico in morbi accessu, nitratis, generosis acidis & serofis alcalino harum febrium ueneno resistendum, alias uel certo per eunt aegroti, uel machinae beneficio uim morbi eluentantes in hecticam incident febrem, qua, nisi modo commendatam medendi methodum adhibeamus, successu extorrentur uitaque priuantur.

XXV. Nullus dubito, febres hecticas ad continuas malignas easque lentas referre, nec haesito illius causam a ueneno alcalino uiscidae massae aliquantulum implicato deriuare. Si ullum morborum uenenum lenrum, si ullum apte cum uenenis temporaneis *les poudures de succession* diëtis comparandum, idem certe est virus hecticae; tam leuiter, tam tarde idem operatur, ut, quanquam successu gelatinæ colliqueretur, colliquata e corpore secedat, & fibrae pederentim nimio attritae motu obrigescant, ipsi tamen aegroti se omnis morbi expertes iudicent; perpetuo enim fibi similes sunt, nec ullum accessionis imperum, nec incrementum, nec uigorem, nec remissionem in huius mali principio sentiunt, multo minus se febricitare credunt; miseri aegroti in hoc lugubri rerum statu constituti, ea, quae illis imminent mala, minus praeudent, adeo quippe longiore temporis moratoria machina omni limpha alibili spoliata extorretur, vr offa  
uix

uix amplius eute haereant, praesenteque perfecto marasmo, iam mortem instare demum animaduertant; uidit ita IOH. THOM. MINADOVS (a) multos Vtini, Constantinopolis atque in Syria, hec tica correptos febri, qui ualdo pere lamentati fuerunt, quod sine morbo tenerentur naturae debitum persoluere.

XXVI. At enim uero maxime iniulfam hanc hec tiorum querelam iudico, cum acerbus calor, sitis, uigiliae, continuus sudor in huius morbi progressu & fine magnam aegrotantium corporibus molestiam creent, meliore iure maioreque ueritatis suffragio idem illi de se pronunciare possunt, qui absque omni febri, absque omnireliquo incommodo contabescunt, atque atrophia ex acris salini praesentia ueneni pereunt. Plura ubique huiusmodi aegrotorum exempla prostant, plura quoque collecti BENEDIC TVS (b) referens, se multos marcore fere confectos uidisse, quorum uniuersi sistema sanguinis alcalino acrati securit sale, qui fluxu periodico, eo tamen mitiore spuma muria conditum per biennium aut triennium absque ullâ pulmonum aliorumque uiscerum internorum laesione arque labet reiecerunt. Inter omnes autem illos aegrotos maxime notatu dignum fuisse mercatorem Lugdunensem in skeleton propemodum mutatum, qui tam aerem salinum humorem absque ullo pulmonum & fauicum uitio per os reiecit, ut turpissimas uolis manuum maculas & phagedaenica pedibus & talis ulceræ inuaserit.

XXVII. Inquirendum hic merito in causam, qua siar, tale uenenum acre, internas, quas transit, partes illaeas atque integras relinquere, cum tamen tam penetrans, tam corrosiva illius sit acrimonia, ut organa externa duriora, qualia sunt pedes & manus leui erodat attactu; non unam, sed plures, omnibus, quae hic occurruunt, examinatis circumstantiis, deprehendo, praecipuum autem a uiscerum copioso sero & gelatina obduktorum

D 2

laxita-

(a) libr. 1. de febr. malign. cap. 19. (b) Theatro tabidorum exercit. 22.

laxitate, celerique & rapido ueneni acris per eadem transitu  
 deriuandam esse iudico, accedit copiosum serum ex pulmonum  
 fauiciumque apicibus arteriosis profluens, quo sal acre alcalinum  
 dilutum minorem uim obtinet. Melius adhuc & clari-  
 rius allegatae certitudinem sententiae nobis concipiems, si ad  
 cantharidum principia, illarumque in corporibus nostris opera-  
 tionem respiciamus, eadem sale maxime acri uolatili alcalino  
 abundant, quod sic dictis emplastris uescicatoriis uim causticam  
 largitur, easdem tamen absque uentriculi, intestinorum & reli-  
 quorum uiscerum, excepta uesica urinaria, laetione deglutiiri, o-  
 mnibus Medicis usu frequenti edoctis est in confessu. Ex his  
 etiam a pessima hominibus indolis sic dictum uenenum tempora-  
 neum, praeparatur, dum illas puluerisatas cum melle coniun-  
 gunt, ac trochiscos uel electuaria conficiunt, quibus deinceps  
 frequenter exhibitis diuersa incommoda & tandem mors succe-  
 dit. Alii idem perficiunt pilulis, quas, uti ex FALLOPIO  
 refert BENEDICTVS SINIBALDVS (c) ex contusis  
 cantharidibus cum pipere, cinamomo & cariophyllis coniun-  
 gatis, ac si per se non sufficeret acri cantharidum uenenum con-  
 sciunt, & repetitis uicibus propinuant. Similis farinae Pappen-  
 heinianos, quos ingrediuntur cantharides, morulos iudico, a  
 quibus penis conuulsionem, mihi uicentum aliaque pluram in-  
 commoda oriri, commemorat PAVLVS AMMANNVS (d)  
 pluribusque adductis obseruationibus demonstrat. Multi, qui  
 veterum sequuntur casta, certis uenenis innatam uim certa re-  
 spicientem uiscera inesse affirmabunt, idque propositis exemplis  
 probare allaborabunt, coriandum scilicet, daturam & mercuri-  
 um maxime inimicum esse cerebro, minus cordi; chalcan-  
 thum cum sale sociatum cordi iniuriam inferre, illaeſo cerebro;  
 cantharides, millepedes, aſellos erodere arque inflammarie uefi-  
 cam urinariam, reliqua uiscera ne attingere quidem; at enim  
     uero

(c) Geneanthropiae lib. 3. Tz. I, cap. 6. p. m. 265. (d) Irenio p. m. 134.

uero illi minus distinctum de allegatorum principiis ueneno-  
rum atque eorum operatione conceprum habent, nec uidentur  
ea obseruasse, quae quotidiana experientia docet. Datura a-  
liaque uenena narcotica, dum fibrarum neroſarum motum in-  
fringunt, & ſecretones omnes, cumprimis liquoris neroſi im-  
pediunt, intimum, quod inter mentem & corpus intercedit  
commercium, ad aliquod temporis ſpatium tollunt, ita, ut ta-  
li ueneno inebriatus minus percipiat ea, quibus corpus affligi-  
tur, incommoda; reſtituta uero iterum neroſi ſucci ſecretonie,  
menteque denuo ad actiones corporis attendente, cordis palpi-  
tationem, praecordiorum anxietatem, omnium membrorum lan-  
guorem aliaque ſimilia mala percipiunt. Ita pariter ſe res ha-  
bet cum chalcantho ſale ſociato, quod cordi cumprimis infefum  
dicitur, illud enim non tam cor petet, quam potius in canale  
alimentorum ſtimulando, conuelendo, erodendo, ſuam exerceat  
traegordiam; his autem ita conſtitutis, non mirandum, ſi ſimil  
cor, imo cerebrum & omnia uifera in conſenſum trahuntur &  
de ueneni aſſumti pernicioſa indole participant. Aliunde repe-  
tenda praefentis phaenomeni explicatio, optimam uero ſuppe-  
ditant rum acre uolatile cantharidum uenenum, rum uiferum,  
quaer illaſea illibataque tranſeunt, & uificae urinariae, quam  
erodunt, conſtituio. Chymici loco axiomatis habendum: fa-  
lia non agere, niſi ſoluta, ſolutio accommodaris perficienda  
menſtruis; cum itaque canthrides, ſale admodum acri uolarili  
alcalino, cui parum terrae adiunctum, uiri deſtillationis adiu-  
mento demonstratur, ſint inſtructa & refertae, hinc limpham  
gaſtricam, in pluribus, ne dicam, omnibus ſubiectis, acidam,  
minus ſoluendo ſali cantharidum acri ſufficere, potius illi cor-  
rigendo & deſtruendo inſeruire reor, unde per totum canalem  
alimentorum canthrides & ex hiſ parata uenena terminata, ab-  
ſque illa hiſ niſeribus inducta labe tranſeunt; hiſ addendum,  
quod uentriculus atque inreſtina fibris non modo laxioribus, fi  
ad urinariae fabricam uificae respiciamus, ſint inſtrueta, ſed co-

D 3:

rum

rum quoque parietes copioso obducta muco minus ab acribus laedantur, dum massa viscosa, quaevis illico, quae ingeruntur acria, implicet atque obvoluat. Longe aliter idem comparatum, cum alcalino uolatili cantharidum ueneno, eiusque in vesica urinaria operatione, adest hic lotium, quod soluendo sali aeri cantharidum appropriatissimum est menstruum, fibrae, ex quibus contextum allegatum urinae receptaculum, magis rigid, parum massae viscosae, vel nullus plane mucus, pro uillorum neruosorum defensione hic adest, unde impulsis ad fibras vesicæ motrices acribus dicti ueneni spiculis, uehemens vesicæ contraffiguntur, fibraeque contractae fortius allidente ad salium cuspides, tum erosionis, tum inflammationis & succedentis mortis autores existunt. Haec expertus ille ueneris famulus perpetua dignus ignominia, qui secundum relationem DANIELIS LVDOVICI (e), ut amiae plenum persoluendo pensum satisfaceret & placeret, integrum cantharidem, abiecit saltem alis, tanquam partibus durioribus, cum sufficiente diafattyri quantitate assumentis tam uehementem, & post mortem etiam durantem priapismum, cum enormi coequo continuo sanguinis effluxu incidit, ut, quanquam diversa praescripta fuerint medicamenta, his absque exoptato successu usus acerbissima ratione perierit.

XXVIII. Sylviæ tempore, de uenereæ ueneno luis, quod huius pariter loci est, multum disputabatur, & dictus autor acerime acidæ præsentiam uiulentiæ in dicto morbo defendebat; si uero ad originem huius mali attendimus, si symptomatum, quae hic obseruantur, genium examinamus, longe a uero aberrasse SYLVIVM deprehendimus. Frequentiore enim & nimis feruido coitu, adeoque nimio partium genitalium attritu, inflammatione atque erosione, nimiaque succorum resolutione, & hanc sequente alcalini accumulatione salis, dictum idque dirum excitatatur

(e) M. N. C. Dec. I. Ao. 9. & 10. obs. 34. p. 98.

tatur malum, unde in subiectis, hoc morbo infectis, per genitalia purulenta profluit materia, quae sanis communicata similem inducit labem. Tantum quoque abest, ut credam, mercurium sale alcalino, uti est Syluii mens, esse referrum, adeoque praestantissimum allegati mali remedium, ut potius hydrargyrum pro remedio ponderoso metallico habeam, quod sua gravitate hinc & inde protrusum, pistilli instar in mortario agitati, contundendis, comminuendis atque expurgandis particulis uiscosis conductit. Cum iraque acre alcalinum luis uenereae virus uehementiore uillorum motricium motu gelatinosos succos nimis attenuet, attenuatos per sudorem atque urinam eiiciat, tenue deficit serum, & uiscida accumulatur massa, quae intra subtilium vasorum extremitates subsistens tumores arque ulcera excitat; si haec incommoda Medicus auferre intendit, summe necessaria, ut mercurialia, quae ad resoluendam massam uiscidam stagnantem praestantissima sunt medicamenta, & simul diluentia cum acidis, quae egregie putredini resistunt, adhibeat; imo in huius mali principio, si praesertim adhuc in gonorrhoea conficit, sola purgantia diuretica & diaphoretica acida, multo seruicte sufficiunt, multoties comperi; quis nero, cum in hocce morbo acida tam utilia & proficia sint, ab acido ueneno huius luis originem cum Sylvio deriuabit?

X XIX. Maxime lenta & tarda est uenenii, quod uenereum luem inducit, operatio; diu enim miasma acre intra partes genitales, & praesertim glandulas prostatas haeret, quod nisi tempestive eorrigatur, correctum expurgeretur, sed imprudenti adstringentium usu retineatur, eandem sanguini imprimi labem, & communicata massa uirulenta, eaque cum reliquis succis iuncta, summa totius sanguinis corruptio imminer, & uera emergit lues, quam ex rumore & dolore glandularum inguinalium, pallore faciei, tristitia, lassitudine spontanea, cephalalgia, exiguis frequentibus que maculis, nunc rubris, nunc flavis lentiginum instar in toto hinc & inde apparentibus corpore, nec disparentibus prius, quam  
morbo

morbo perfecte curato, pustulis malignis, modo flauis, modo rubris, modo planis, modo protuberantibus, omnibus tamen siccis purisque expertibus, condylomatibus, cristi, mariscis & ulceribus, quibus partes affectae eroduntur & plane quandoque consumuntur, cognoscere possumus. Minime uero credendum, haec omnia in omnibus hoc morbo affectis adesse, sed alia alios diue-  
xant; nec credendum, ubi allegata signa, uel quedam eorum non reperiuntur, luem uenereum semper abesse, multi profecto, qui ab allegato malo se penitus immunes credunt, ab ipso illius ueneno, quod uel per consuerudinem ab alio acceperunt, uel si bi impuro accersuerunt coitu, successive ita, absque supra adductis symptomatis, emaciantur, ut credas, eosdem minus lue uenerea, sed atrophia ex alia causa laborare; huius autem rei ratio ab internarum partium corruptione deriuanda, qua externae ab illius ueneni detrimento tutae redduntur. Tali dehinc atro-  
phia illi afficiuntur, qua multi in India pereunt, quibus lues ue-  
nerea maxime familiaris atque endemia est, nam uti annotauit  
**BONTIVS** (f) in cadaveribus hoc morbo defunctis, mesen-  
terium penitus suppuratum fuit inuentum. Quin alcalinum lu-  
is uenereae uenenum saepius febres continuas, breves & chro-  
nicas, qualis est hectica, excitat. Haud raro accersitus fui ad aeg-  
rotos istiusmodi febribus affectos, qui de uehementi aestu, siti,  
dolore capitis, inflammatione faucium, perugilio, maxima uirum  
prostratione, appetitusque defectu conquerebantur; perqui-  
rens antecedentia, & sedulo aegrotum monens, ne aliquid cela-  
ret, dum ingenua confessione totius curationis cardo inniteret-  
zur, eosdem iam ante annum uel biennium gonorrhœa penis-  
que exulceratione laborasse, & curato uleare, adhuc superstes es-  
te inuoluntarium semen profluvium, percepi; his auditis, praef-  
sentis febris originem a luis uenereae ueneno deriuandam, iisque  
remediis curandam iudicabam, quae iam supra commenda-  
ui. Certo hic affirmare quo, me nihil magis proficuum hie re-  
perisse,

(f) Libr. de Medicina Indorum cap. II.

perisse, quam tartarea acida frequenter de die in uehicle seroso praescripta, quibus primum remittebant, & demum perfecte omnia, quae modo commemorauit, symptomata abibant.

XXX. Acida praestantissimam uenenorum temporaneorum alcalinorum antidotum constitutre, hinc rationis atque experientiae subsidio demonstratur. Magis idem adhuc evincitur historia, quam suppeditat LINDESTOLPE (g) referens, Stockholmiae apud aurifabrum, artis addiscendae gratia fuisse puerum, qui, quavis occasione diligentius auctorata, in posteriore domus partem se contulerit; condiscipuli illius, mali quid suspicantes, abeuntem clam sequuntur, & araneos sub telis uenanrem & magna cum uoluptate deglutientem inueniunt. Redit denuo in officinam & furtim auferens aquam fortē, eandem haurit, idque saepius repetit, quasi idem ex physicis iam eductus fuisset, alcalini araneorum ueneni antidotum in aqua fortē acida absconditam esse.

XXXI. Quam salubria uero acida in allegato casu, tam perniciosa eadem reddit ueneficorum abusus, qui eadem ad homines successiue perimendos, modo serosis, modo uenosis uehicle admiscono, homines nihil mali timentes, decipiunt, iisdemque, praeter lapsō aliquo temporis spatio, lethalem anginam, vel pleuritidem, aliunque similem morbum & mortem inducunt. Talia uero uenena acida sunt sequentia, spiritus nitri, uitrioli, salis, sulphuris, oleum uitrioli, aqua fortis, aqua regia, omniaque his acidis imbuta, solutio auri, crystalli illius, solutio argenti, eius uitriolum, & lapis infernalis, solutio cupri & inde paratum sal, solutio & calcinatio mercurii viui spiritu nitri & oleo uitrioli peracta, & hinc natus mercurius praeципitus ruber, albus, uiridis, sublimatus, antimonium aqua regia impraeagnatum & saturatum, ac calx illius escharotica. Horum autem uenenorum praesentiam ex foetore & sapore acido, pallido totius faciei &

E

par-

(g) Tractat. de Venenis cap. 13. §. 16.

partium hue pertinentium colore, fauicum, linguae, uentriculi & intestinorum, cum sensu constrictiois, rofione, lentaque illarum partium pallidarum penitus erosione, siti non adeo magna, appetitu impensae aueto, cardialgia, uomitu, dysenteria, cholera, torminibus, passione iliacae, colica, tumoribus glandularum, dyspnoea, pertinaci capitis dolore, fecibus alii viridibus & acidum spirantibus, sudore multo eoque acido, urina difficulter reddita, crassa, alba, syncope & lenta tabes perspicere possumus, uti historia TIMAEO a GULDENKLEE (h) annotata confirmat. Istiusmodi uenenum acidum Ioannem Scottum accepisse iudico, de quo CARDANVS (i) scribit, quod, cum Venetas profectus fuisset, eundem, ad Scottum deduxerint, quo, perspecto misero illius statu, consilium & auxilium illi daret, dederat enim Scotto, uti rumor per totam ciuitatem sparsus ferebat, affinis, ob intentatam item, sic dictum uenenum terminatum & temporaneum, unde febri lenita continua, queq; tertio die semper acerbior euadebar, affligebatur; huic dolor uentriculi perpetuus & constans illius rorio cum pallore faciei & partium oris internarum atque externarum iungebatur; haec excipiebant lentae, crassae, & albae pittitiae per uomitum reiectione, tabes, uigiliae, siti non adeo impensa, exercitio difficilior fecum alii albarum, acidarum & corruptarum. Eadem symptomata, paucis mutatis, persessa fuit, iisque periit foemina illa ODELEMIO (k) memorata, cui maritus, spiritum uitrioli in spiritu umi quotidie ad guttas decem, uiginti, pluresque, propinavit, eique tandem morae impatiens arsenicum admiscerit.

XXXII. Quemadmodum uero contra uenena alcalina, a-cida remedia, a nobis supra capite decimo nono commendara, ita uice uerla in curando aegroto, qui acidum accepit uenenum, ad

(h) Casu Medicinali 12. libro 7. (i) Contr. Med. lib. 2. Tr. 5. contract. 10. (k) Libr. Select. Iuris Part. 1. hist. 6. §. 2. & sequ. p. 84. & sequ.

ad alcalina configiendum. Ante omnia autem laborandum, ut, quae in uentriculo haerent, uirulentiae acidae reliquiae, excitato, per serosa & oleosa, uomitu, reiiciantur. Hoc rite perpetrato, diluentia alcalina praescribenda, eorumque usus per longius temporis spatium continuandus; optima autem hic sunt infusa & salvia, beronica, scordio, ueronica, radice uincetoxici; contraierae, parata. His iungenda lixiuia saponacea leuiter alcalina, & terrestria absorbentia sale alcalino simul instrueta, qualia sunt, cornu cerui sine igne, lapis bezoardicus orientalis & occidentalis, lapides cancrorum, unicornu marinum fossile. Quod concernit diaetam, aegrotus frequenti lenique moru corpus exerceat, solitudinem & uitam sedentariam fugiat, amicorum sibi gratorum consuetudinem quaerat, omnium alimentorum, potulentorum & medicamentorum acidorum, eorum etiam, quae acidorum generationi fauent, usum penitus repudiet, siisque carnis animantium pinguisibus, ipsique iusculis ex his fortiore coctione paratis, & salvia, chaerefolio, petroselino, croco, mace, conditis utatur. Cereuisia, quam quotidie haurit, sit bene lupulata, ac duabus illius libris drachmæ duas mixturae simplicis addantur, & haec omnia eo usque continues, donec, omnibus symptomatibus disparentibus, de superato atque expurgato ueneno acido certus sis.

XXXIII. Ab acido ueneno praecipuum uim nocendi accipere aquam stygis dictam, qua Alexandrum Magnum enecatum fuisse, fama est, & quae nullo alio uase, excepta ungula muli, uti vulgaris est persuasio, poterat contineri, plurimis inductis rationibus iudico. Hanc aquam a petra in Nonacria sita, guttatum destillare, & summe frigidam, summeque acrem esse, secundum IOANNIS ZONARÆ (1) relationem, perhibetur, quae ita se haber: Φασὶ δὲ τινες μετέπειτα λόγου γενέθλια, ὡς ὑπὸ Φαρμάκων Διεφθαρτο, καὶ τὸν Λευκοτέλη Αντιπάτρῳ σύμβολον γενέθλια

E 2

TNS

(1) Annalium Tom. I. Lib. IV. no. 14. p. 196 & 197.

τῆς περίξεως, ηδὶ ἵστης κομιθῆνα τὸ Φάρμακον. Τὸ δὲ ὑδάτινον ψυχρὸν καὶ παγετώδες απὸ τῆς πέτρας τινὸς ἐν Ναυαρίδῃ ἔστι, ὃ δροσον ὥσπερ λεπτὴν ἀναλαμβάνοντες εἰς ὅνοι χυλὸν αποθεντεῖς ὑδὲν γαρ ἔτερον ἀγγεῖον σύγχεισιτο, αλλὰ ὑπὸ ψυχρότητος καὶ δειμάτητος διακοπτεῖται οἱ δὲ πλείστης πεπλασταὶ φαῖται, τὸ Φάρμακον θανεῖ τὸν ἀλέξανδρον, ηδὶ τύτο τεκμηριῶντα ἐν τῇ τοῦ σώματος ἐφημέρᾳ πλείστας κακίστων ἐν τοποῖς Θερμοῖς στήμενον, τῶν πηγαδονῶν πέρος ἀλλήλους στοιασάντων, μηδὲν ἐμφύται τηλευτῆς Φθορᾶς σημεῖον, αλλὰ καθαρὸν διαμενεῖ ηδὶ δοκεῖ πρέσσοφατον. Multi quidem huius ueneni uim ab impenso frigore deducunt, non autem, quae frigoris causa hic adsit, considerant, nec ad acrimoniam acidam frigori iunctam respiciunt; petram, ex qua destillat aqua illa perniciofa, copioso halonitro, uti ueteribus dicebatur, referant iudico, atque ab eo tum frigus, tum acrimoniam acquirere reor; quamquam enim concedam, niuem, glaciem, aquam frigidam & alia similis farinæ potulenta, post faltationem aliqua corporis exercitia hausta, poros obstruendo nimis patefactos, fibras constringendo nimis oscillantes, & succos condensando nimis resolutos, pleuritidem, peri pneumonia, anginam aliaque huiusmodi mala excitare, iplamque mortem inducere, hoc tamen minus de allegata aqua stygis credendum, cui tanta ineft aerimonia, ut nullo alio, excepta ungula muli, uel simili ex cornu confecto vase contingi queat.

XXXIII. Aliam, eamque tum ab alcalinis, tum ab acidis diversam, indolem obtinet arsenicum, quod cum iusculis & medicamentis pinguibus atque oleofis, ad illos, a quorum morte emolumentum expectant, e uira tollendos, scelerati homines in exigua quantitate adhibent. Rubrum & album, idque naturale, uel artificiale prostar, atque utrumque tam acri, rigido & ponderoso sale conflat, ut si uim illius corrosiuam consideres, accrimum ueneno alcalino acidoque nullatenus cedat. Peculiariter genere salis arsenicum esse instructum, inde liquet, quod in

in aqua solutum, neque ab acidis, neque ab alcalinis, ullam patiatur alterationem. Idem vero, cum graue & ponderosum sit, mercurii in eodem praesentiam cognoscimus, acerium autem spiculorum originem a sale maxime acri cum sulphure irneto deriuandam censeo; sulphur enim inesse arsenico, odore percipimus, idemque pinguis elicitur, item a parte eius regulina per alcalia vel saponem Venerum sulphur praeципitatum in magna copia acquiritur. Quid uetus itaque arsenicum sulphur, sale aculeatum, uenenatum dicere, quod acrimonia sua singulari caustica, paribus, quibus applicatur, dolorem, ardorem, fuscitatem, rauaciam, uomitum cruentum, choleraam, cardialgiam, uehementissima uentris tormenta, dysenteriam, ileum, inflammationem, erosionem, gangraenam, faciei & aliarum partium liuorem, uertiginem, conuulsiones & mortem, aut hac uitata, cachecticum & miserum plane totius corporis colorem & habitum, paralysin & diuersas spasmodorum species efficit. Hoc Vitembergae nobilis virgo & tres ingenui optimae indolis pueri experti, qui ab inuida arque auara pessimi animi nouerca, non arsenicum modo, sed ipsum quoque mercurium sublimatum, quo de futuro eorum interitu eo magis certa esset, acceperant, misereque, distis symptomatibus excruciat, perierunt. Eadem calamitatem perpetua fuit foecina cum filia natu minore, quae in pago Vogtlandiae, Plauen dicto, Anno 1709. mense Septembri, post uehementes dolores, uomitus & cordis angores, ex cereuifae arsenicalibus particulis imbutae potu obierunt; aliis adhuc duodecim ex eademi causa misere decubentibus. In huius mali originem accerrime inquirebatur, & res perquisita, cum historia facti ad Facultatem Medicam Lipsiensem deferebatur, quae, omnibus circumscriptis circumstantiis, huius functi casus causam a cineribus clauellatis, e Bohemia allatis, atque in furno, ubi antea arsenicum fuit sublimatum, calcinatis, quibus acida cereuifia fuit edulcorata, arecessendam esse, obseruauit, & solidis argumentis demonstrauit.

XXXV. Exiguam autem adducti ueneni dosin, uerbi gratia, unum alteriusque granum, ino tertium & quartum copioso sero dilutum, nullam in sic dictis phlegmaticis inducere laesio nem, sed potius resoluenda massa uiscosae, abundantique sero dissipando conducere, multi afferunt, unde leucophlegmaticis, hydropticis, febri tertiana & quartana, ex uiscidi excessu humoris, laborantibus, conducere, perhibent; multas quoque, quae apud diversos autores prostant, historias, quibus felix huius ueneni in dictis morbis operatio probatur, afferunt; in specie in febri tertiana, idem, ad grana duo, tria uel quatuor, copioso iunctum sero, FRICCIUS (m) pluribus rationibus atque experientia suffultus commendat. Sed nulli ego autor suasorque, idem instituendi experimentum, extiterim, uel, si idem exhibendum uenenum, loco aquae simplicis, mellita, uel lac adhibeatur; si enim resoluta generosa requiruntur, satis potentia, eaque arsenico tutiora habemus, ac praefata, longiore temporis mora, tutum atque exceptatum, quam breuiore, incertum, anicipitem & periculosum eventum expectare.

XXXVI. Certa quoque, in examinanda indole & uirtute arsenici occupatus, persuasione nitor, modo commemoratum uirus in allegatae subiectis naturae, lenti genium ueneni assumere, & dum curandae febri tertianae infurit, indeleibilem minus que emendandam corpori labem inurere; curati enim hac methodo, nimia sanitatis firmae confidentia, eorum, quae hic necessaria sunt, remediorum usum negligunt; optime autores huiusmodi obseruationum solidiori artis salutaris culturae atque incremento prospexissent, si in describendis huiusmodi historiis, non modo antecedentia & praeuentia, sed futura quoque annotassent. Maximam spicula arsenici acria a mercurialium pondere particularum vim defumunt, unde, si alicui huiusmodi uenenum propinatum, ualidopere de citissima illius expurgatione, uentriculum

(m) Libr. de Virtutibus uenenorū medicis capite 3.

culique & intestinorum defensione laborandum; hoc autem alia eaque meliore ratione haud perfici potest, quam praesentissimo, copioso & continuo aquae tepidae, subacidae, vel mellitae haustu, eiusque per clysterem vel siphonem iniectione, quo tum per os, tum per aluum, uirulenta arsenici materia eliciatur, & si quaedam huius ueneni particulae iam in sanguinem transierunt, nihilo secius horum remediorum usus continuandus, ut per urinam & sudorem virus, dictis remediis correctum, expurgetur; balneum simili cum commendato potu indolis ingrediatur aegrotus, & per longius temporis spatium laxantibus molibus, pinguibus & acidulis frequenter utatur; iura pinguis oleo iuncta, lac, butyrum, & quaevis mollia atque oleosa, loco ordinariorum ferculorum, quotidie usurpet, nec prius eandem uictus uiuendique rationem deserat, quam praesentibus perfectae sanitatis signis.

XXXVII. Arsenicum, similiisque uenena uehementiae, cum non tam bene occultari queant, sed cito multis grauibusque symptomatibus sui praesentiam prodant, a prudentioribus ueneficis minus frequenter adhibentur, sed iidem, seclus, quod meditantur, maiori cautione uenens constringentibus, obstruentibus, incrassantibus atque exsiccantibus perficiunt. Huc gypsum, sacharum Sacrum, stanni minera, limatura, squamma, calx, cerussa, minium, lithargyrium, cinis stanni usci, synopis, psyllii semen, cynosbati spongia, agaricus, uiscum, spectant. Haec ita comparata, ut partibus, ad quas deferuntur, constringendo & coarctando easdem, molestiam ercent, atque ad ipsas canalium angustiorum extremitates deducta subsistant, iisque impacta pertinacissimas obstructions, & calculosas concretiones excirent; hinc eorum propinacionem dolor uentriculi grauatus, appetitus prostratus, aliu constipatio, uasorum laetorum obstructio, pallidus & liuidus faciei color, atrophia, rufis, secca, difficilis respiration, anxietas fere perpetua, tristitia, uitae solitariae amor, tym-

tympanitis, paralysis, icterus, sequuntur, eaque miseris ac-  
grotos per longius temporis spatium excruciant.

XXXVIII. Ex allegatis uenenis adstringentibus omnium pernicioſiſſima ſunt ea, quea ex gypſeis & saturninis confi- ciuntur; eadem enim, niſi mox in principio per emetica & purgantia ſuccurramus, omnis antidoti uſum eludunt, certamque afferunt perniciem & mortem, dum nec a succis corporis noſtri ſoli attenuarique, nec a fibrarum motricium robore diuidi & ſubtiliſari, nec ullis remediis, licet praefantiflaminis, illa ratione immutari, corrigi atque expurgari queant. Pernicioſam hanc saturninorum uim clariffime in iis, qui lithargyrium, spinium, & plumbaginem conficiunt, uafis terreis incrustandam, uidemus, illi enim uaporem ex saturno egredientem excipientes, in asthma ſuffocatiuum, pallorem & tabem incident, uti praefertim figulorum aliorumque exemplo RAMAZZINI (n) probat. Haerent quippe fibris maxime affixa haec uene- na, eaque tum in organis maioriibus concreſcendo, tum anguſtos duictuum conicorum fines infaciendo, obſtructions & ſcirrhos pariant, uel, ſi iungatur iisdem acrimonia, partes, quibus inhaerent, ſenſim ſenſimque lancingant, fodiunt, tandem erodunt & lentam inflammationem, atque uetus, difficile tollendum, inducunt. Obſeruauit ira CLAVDINVS (o) dyf- enteriam ab aquarum ex plumbeo uafe deſtillazaruſum uſu. Gy- pſeas concretiones, quea lapidis acqiuuerant duritiam & ad cui gallinacei magnitudinem accedebant, in aegrotis, ex hoc ueneno demortuis, ſe haud ſemel uidiffe, CARDANVS (p) affirmat. A uino bismutho adulterato atque edulcorato tormina uentris & alia grauiā ſympotata oborta fuiffe, IOH. RV- DOLPH. CAMERARIUS (q) commemorat. Eiusdem natu-

(n) Libr. de Morb. Artific. cap. 5. (o) de Ingressu ad infirmos lib. 2. cap. 6. (p) Contr. Med. libr. 2. tr. 5. Contr. 10. (q) Memorab. Medic. cap. 8. partic. 23.

naturae fuisse uenenum illud temporaneum, ex circumstantiis patet, quod Hispani Domino de Nort. Carmes, Provinciae Vl- traiectinae Gubernatori, per insidias propinarunt, ex quo, uti refert HEVRNIUS, in atrophiam supra adductis symptomatis bus stipatam, quae omnium remediorum usum elusit, incidit, misereque perit. De C. Proculeio refert PLINIVS (r), quod idem, gypsi usu ueneni, sibi ipse consciuerit mortem. Emanuel Byzantini Imperatorem gypsi in subtilem puluerem redacti & triticeis commixtis admixti uirulentia, tortum Conradi Tertiū exercitum deleuisse, traditur; Byzantio enim commemoratam farinam uenenantam, uti autore SABELLICO (s) percipimus, militibus in panificia ea intentione Emanuelis subdole mittebat, ut praeda cuaderet luctuosa hostium; uix in conspectum militum Conradi uenerat illa farina, cum ipse quoque illius possessionem & usum, funesto tameh exitu, sibi uendicarent.

XXXIX. Haec sedulo inculcanda & demonstranda illis virginibus, quae ad conciliandum pallorem amatorium, nimium que temperandu[m] ruborem, cretan, calcem extintam & gypsum, quibus parietes tinguntur, aliaque similis genii terrestria comedentes, sibi mensum obstruktionem, apperitum prostratum, chlorosin, oedematous pedum tumorem, phthisin & praematuram mortem, accersunt. Eadem caurela illis quoque iniungenda, qui frequenter ventriculi ardore, soda diēto, laborantes, cretam aliaque terrestria saepe & in magna copia deuorant; leuamen enim, quod ex huiusmodi remediorum usu primum sentiunt, frequentiore acerbioris doloris recidivam atque ardoris incremento maxime infestum redditur. Imbibunt quidem huiusmodi terrea remedia acidas, quae sodam efficiunt, particulas, minime vero penitus immurant & corrigunt, aut non corrigendas evauant, sed cum iisdem iuncta, calcem duriorem atque irresolubili-

F

lem

(r) Hist. Nat. Lib. 36. cap. 24. (s) Rapsod. Histor. lib. 4. Ennead. 9.  
p. m. 705.

Iem constituant, a qua, si in uentriculo subsistat, dolor cum sensu ponderis inhaerentis, appetitus corruptio, difficilis, tarda & deprauata chylificatio, proueniunt; sin eadem ad intestina deriuetur, uasorum lacteorum obstruacio, aliui constipatio, uel fluxus coeliacus oritur. Horum loco potius rhabarbarum, nitrata, cremor tartari, salia herbarum fixa aliaque, pro circumstantiarum uaricrate, praescribenda.

XL. Rationi quoque penitus conuenit, nec ab experientia alienum est, quod terrorum atque adstringentium remediorum abusu plurimi in morbos chronicos, cosque maximam partem lethales, coniiciantur, huiusmodi enim remediis materia peccans in corpore non retinerur modo, sed eadem irresolubiles in uisceribus efficiendo oppilationes, diuturnas atque immedicabiles infirmitates excitant. Hoc monitum sedulo obseruet imprudens Medicorum cohors, qui obstruentia ac constipantia ex sacharo Saturni, cornu cervi ulce, teltis ouorum, similibusque terreis parata medicamenta ad fistendam diarrhoeam, dysenteriam, & lienteriam, cohibendum uomitum simplicem & cruentum, curandam haemoptysin, sufflaminandum nimium fluxum mensium, inhibendam gonorrhoeam, auferendum fluorem album, arendum miectum cruentum, & profligandas febres, usurpant; his quippe in aliis partibus pertinaciiores obstrunctiones, in aliis nouae succorum congestiones, stagnationes atque inflammations, accersuntur, quibus haud raro uehementes febres, conuulsiones, & phthisis succedere solent. Quot, per adstringentia, intempestivae in diarrhoea & dysenteria adhibita, in tumorem abdominis, capitis dolorem, uomitus enormes, dyspnocam & cordis palpitacionem, incidunt? ipse noui exemplum diarrhoeas, qua puer quinque annorum laborabat, hac methodo cohibitae, cui epilepsiacum maxima uentris distensione & morte succederat. Quot, sufflaminata per obstruentia gonorrhoea, secutae luis uenereae autores sibi ipsis extiterunt? Quot, curatis per terrestria remedia febribus, hydropem, isterum nigrum & tabem

tabem acceperunt? Quot, cohíbito hac ratione uomita, in anxietatem praecordiorum & metum suffocationis, non prius, quam restituto uomitu, abeuntem, inciderunt? Quot, excretione sanguinis per pulmones aliaque viscera laborantes, adstringentium usu, varia eaque grauia sibi mala concilarunt mortemque accelerarunt, uti historia, quae in dissertatione mea de saluia in infuso adhibenda, huiusque prae Thea Chinensi practantia, thesi decima sexta extat, sufficienter probat. Hoc quoque expertus fuit Pastor ille Seruettanus S A L M V T H O (t) memoratus, qui fluxu sanguinis periodico & quasi menstruo laborans, eius, cum interdum copiosius, minusque tempestive, rediret, pertaesus, auxilium a rabulae cuiusdam uxore medicastra petit, quae, ordinata potionē adstringente, fluxum quidem cohībuit, quem uero suppressum illico summa pectoris angustia & compressio, maxima respirandi difficultas, & ipsa mors sequuta fuit.

XLI. Similis uis adstringens & obstruens in multis quoque aquis resider, unde sapienter HIPPOCRATES (u) monet, exactam aquarum, quas bibimus, uel ex quibus potum conficiimus, habendam esse rationem, dum quaedam potae multum ad calculi generationem contribuant. Haerent omnino in huiusmodi aquis deleteria saturninorum & gypseorum principia aciurritus, imo easdem tali materia rotas esse refertas, eorum, quos exerunt, effectus probant; si enim illas bibamus, eadem, quae saturnina, sequitur operatio, eadem symptomata, & eadem mortis conditio. Ad hanc aquarum classem riuis ille ad Clarmontium Auerniae in Italia oppidum referendus, qui, uti ATHANASIVS KIRCHER VS (x) testatur, haustus, sensum grauiratis & frigoris in uentriculo excitat, ac uentriculum lapidea substantia incrustat. Eadem de fonte aurei montis Arvenorum BODINVS (y) ac de fonte apud Ginetri castrum

F 2

sex

(t) Libr. Observat. Cent. 3. hist. 47. p. m. 134. (u) Libr. de aere, aquis & locis no. 21. (x) Mund. Subter. lib. 3. (y) Theatr. Nat. lib. 2. p. m. 228.

sex lapidibus a Vienna Gallica semotum, MONTVVS (z) refert. Talia saturnina principia tribuenda quoque Ciconium fluui, PLINIO (a) memorato, cuius uirtutem eleganter sequenti modo OVIDIUS (b) describit:

*Flumen habent Cicones, quod potum saxeа reddit*

*Viscera, quod tactis inducit marmorata rebus.*

In Hungaria ad Cremnitzium, aquas multis particulis terreis, saturninis & uitriolicis imbutas, obstrunctiones, calculum arthritidem excitare, historici plurimi tradunt. Idem de aquis Stiriae scribunt alii; haec enim, copiosam cretam uehentes, si hauriantur, glandulas oris & fauciūm obthurando, scrophulas & strumas excitant.

XLII. Confirmantur haec, quae de tienenis lentiad strigentibus dixi, perniciosissimo pavimentorum lapideorum usu, frigidis, quae emittunt, effluviis, toti corpori maximam perniciem inducentium; constringuntur quippe ex horum frigore extrema pedum tibiarumque uasa, ac liber succorum ex arteriis in uenas transitus impeditur; haeret ita & subsistit sanguis in extremis uasorum conicorum apicebus, ac stagnatione & ui frigoris coagularius, in massam renacem arque immeabilem redigitur; dum uero humor purpureus per conicos pedum ductus liberum commeatum non habet, hinc idem in maiori copia, per superiora uasa, cumprimis pneuonica circulans eadem distendit, distendendo bronchia premit atque irritat, unde asthma, rufis secca; imo, dum frigore horum pavimentorum transpiratio supprimitur, eae, quae per poros cutis eliminandae impuritates, ad diuersa uilceria, cumprimis ad canalem alimentorum confluent, ibique grauissima tormenta excitant. Sculptoris, qui ex frigore marmoris, grauem colicam passus fuit, BAGLIVIVS (c) iniciit

(z) in Itinerario p. 10. (a) Hist. N. lib. 2. cap. 103. (b) lib. 15. Metam. fab. 17. (c) Tr. de Fibri. motr. lib. 1. cap. 7. & Prax. Med. lib. 1. cap. 9. de Colica.

iniciit mentionem. Nec desunt exempla foeminarum, quibus ex hac causa suppressus fuit fluxus menstruus cum succedente pallore, tuffi, dyspnoea & aliis pluribus symptomatibus. His commoti, proprioque eoque multiplici danno edocti Bataui, quibus alias pavimenta lapidea maxime in deliciis erant, eadem iam ualopere respuunt & damnant.

XLIII. Ex uenenorum temporaneorum, quae obstruendo & constringendo interficiunt, classe, sunt quoque fungi & fructus nimis glutinosi. Non mihi hic sermo de fungis acribus laetescientibus, qui ueneno maxime corrosivo scalent, de domesticis faltem, quibus frequenter uestimur, idem interpretandum; illi enim ex humore maxime tenaci, uiscido & glutinoso constant, uti succus coctione prolectus, qui conglutinandis uasis, secundum experimentum *Miso. Med. Phys. Cur. Germ. Dec. 2. Ao. 2. obs. 73.* laudatum, inferuit, probat. Massa igitur uiscosa & lenta, quae inest fungis, nisi suci tenues acres soluentes & sufficiens uillorum motricium robur adsit, ventriculum aggrauat, & si ad pulmones defatur, suffarctum pulmonalem & catarrhum suffocatum excitat, prout idem eleganter LEMERY (d) explicauit & demonstrauit. Clementem Septimum, Pontificem Romanum, immodico & nimis frequenti sangorum usu, quos quotidie in maiori quantitate comedit, & quoram tanto flagravit desiderio, ut iis in terris, quae ditioni suae parebant, ne cui altero demeterentur, ediceret, praematuram mortem sibi accessuisse, BRUYERINVS (e) affirmat, quod uero aliter se habere PARAEVS (f) perhibet, scribens: dictum Clementem ex fumo facis, ueneno imbutare, obiisse. Similis succorum lento insidetu siccus Pharaonis, quae in Sardiniae Ducatu Geluria abunde crescit, inuenitur, hinc cruditates uiscosae ab illius esu in corporibus hominum accumulantur; unde haud mirandum, tot

F 3 febres

(d) *Traite des Aliments part. 1. ch. 72. & 73.* (e) *De Re Cib. Lib. 9. cap. 20.* (f) *Tract. de Venenis lib. 20. cap. 7.*

febres, quot comeduntur fructus, uti ARDOYNVS (g) commemorat, hinc provenire.

XLIV. Ipsa autem principia, ipsa indoles uenenorum obstruentium atque adstringentium indicat & demonstrat necessitatem usus emeticorum & purgantium cum diluentibus, salino-uolatilibus oleofisis, salino-fixis, saponaceis; ita autem in eorum usu procedendum, si mox in principio propinati ueneni uiscidi & terrestris adstringentis medici desideretur auxilium, uomitorio, tartaro scilicet emetrico, uel uino antimonialibus particulis imbuto, massae obstruentis & constipantis ex ventriculo reiectione promouenda, & deinceps allegatorum remediorum usus subiungendus; sin autem idem iam ex ventriculo in sanguinem propulsum intra angustiora atque extrema uiscerum uasa haereat, prius usurpanda diluentia, resoluentia & saponacea, uerbi gratia, insulsum maluae, parietariae, fumariae, capillorum ueneris, scolopendrii, cum scrupulo semis saponis Veneti; his frequenter per totius mensis spatium adhibitis, usus emeticus adiungendus, quo massa uiscida iam sufficienter diluta, resoluta atque ad exitum praeparata, ope uehementioris concussionis, quae conuulsu diaphragmatis inter uomendum morui tribuenda, ex latibulis suis excutatur. Vehemens motus huiusmodi agroris maxime obest, dum tenue dissipando serum, massam uiscidam auger, ejusque stagnationem atque infarctum promovet; peior adhuc uita sedentaria, ex oppilatione, ob defectum motus oscillatorii, scirrhum inducens irresolubilem; leuis & frequens motus cum usu alimentorum & potulentorum diluentium & resoluentium maxime prodest.

XLV. Non praetereunda hic ea, quae tritu mechanico parantur uenena, & ex hoc fundamento acria mere mechanica discuntur; haec praesertim ea sunt, e quibus quoque sic dicta uenena terminata & temporanea frequentissime parantur; ex hoc genere

(g) Tr. 9. de Venenis lib. 3. cap. 51.

genere uero sunt adamas, crystallus montana, limatura ferri, limatura acris, alumen plumosum, utrum conatum. Solida & maxime rigida est horum corporum substantia, quid igitur mirandum, si eadem mechanico comminuta tritu atque in tot quasi spicula rigida & aspera redacta lancingant, pungunt, & fibras uasique ex illis composita successive erodunt & uulnerant; tardior uero & lenior est, quam inducunt, irritatio, unde in principio, horum uenenorum praesentia uix sentitur, cum primis in phlegmaticis, quibus nullum ex his pulueribus imminet incommodum, uti de Francisco Todeschino, qui plures acies adamantinas impune atque absque ullo damno deuorauit, CARDANVS (h) referr, & ex hac ratione adamantem, non uenenum, sed medicamentum esse, perhibet. Ex his uero minime concludendum, quod, uti HOFFMANNVS (i) scribit, fabulam sapiat, puluerem adamantis eodem modo intestinorum tunicas, ac utrum discindere, eaque propter necare. Perinde certe esset, si hac eterer argumentatione, multi tota uitri frusta absque damno deuorant, hinc & aliis impune utrum deglutire possint; imo a uiro fide digno mihi relarum, rusticos Sueciae in pleuritide & peripneumonia utro contuso & puluerisato cum felici successu urit; quis uero hinc putaret inferendum, quod idem puluis ex hac ratione aliis, eodem morbo laborantibus, apud nos sit exhibendus; discrepans solidorum & fluidorum dispositio, diuersum nitre genus, multiplex uictus conditio, varia climatis constitutio, multum ueneni naturam atque operationem uariant, & hinc quoque adamantis puluerem innoxie deuorant aliis, aliis uero dolorem pungentem ab huius usu sentiunt, quem, nisi tempestue oleosis & serosis pinguis facurramus, erosio sequitur. Cum enim certum sit, in adamante spicula utro similia, imo rigidiora adhuc, latere, minus de uilius erodente dubitandum erit. Quis ereder, pulueres ex trituratis

(h) Contr. Med. lib. 2. Tr. 5. contr. 10. (i) Disserr. de lactionibus externis, abortiuis uenenis, ac philtiris obseru. 14. Schol. p. 28.

turatis segetibus prodeunt tam acribus gaudere spiculis, ut uenenis erodentibus merito sint annumerandi? paradoxon hoc multis uidebitur, ipso tamen usu teste, huius asserti ueritatem & certitudinem deprehendimus; tenues enim, ex quibus illi pulueres constant, particulae, inspiratione cum aere pulmonibus receptae, intimos atque exilissimos bronchiorum conos subeunt ibidemque subsistunt, donec moru pulmonum hinc inde uenitati & protrusi stimulant & irritant, irritando tussim primum sicciam, difficilem respirationem, & nisi cito auxilium seratur, perseverante irritatione, eaque fortiore reddita, uchementiores sunt pulmonum spasm, ipsa uisceris huius substantia continuo attritu eroditur, uerum uleus, vera phrisis pulmonalis generatur, & propter impedimentum liberum, in organo respirationis, sanguinis circuitum, pallore suffunditur facies, ut idem in lapicidis molitoribus, pistoribus, capillorum adulterinorum compilatoribus, uidemus. Huc quoque trahendum, quod VINCENTIVS LE BLANC(k) narrat de uento in Ormo Asiae insula flante, Lusitanis Abrazador dicto, qui tam subtili puluere plenus dicitur, ut repentinam, intra pulmones receptus, suffocationem inducat. Hic, si requiratur Medicus, nihil aliud agere potest, quam, ut praescriptis oleosis, pinguibus & serosis, spicula horum uenenorum mechanicorum implicet, obuoluat, fibras motrices relaxet & earum contractio nem temperet.

XLVI. Dantur alia adhuc uenena satis violenta & acria, quorum tamen uis oleo narcoticō, quo gaudent, infringitur, qualia sunt hyoscyamus, datura, opium, solanum melanoceraso. Sale uolatili haec uenena abundare, grauis non modo, quem spirant, odor, sed chymica etiam experimenta demonstrant, destillato enim opio, sal illius volatile fumi vaporisque albissimi forma alembicum transcendit; huic sali oleum narcoticum ui constringendi & obstruendi famigeratum iungitur, uti experimen-

ta

(k) Voyay cap. 10, part. I.

menta BORRICHIO (1), WILLISIO (m), HOFFMANNO (n) & WEDELIO (o) laudata cuincunt. Hacc uenena praecipue resoluunt, resoluendo tenue serum dissipant, residuam massam inspissant & haud raro penitus sanguinis motum drepente fistunt. Ab opiatorum usu sanguinem instar glaciei coactum & quasi congelatum uasis cerebri inhaesisse, CVERAEVS (p) & LEMNIVS (q) testantur; ipsum opium cordis uentriculus agglutinatum fuisse, ex LEMNIO refert BONETVS (r). Praeterea uenena opia omnes secretiones, praeter insensibilem transpirationem, fusflaminando, torpor, stuporem, maximam oris siccitatem & sitiim, mentis alienationem, somnum profundum, anxietatem, difficillimam respirationem, stertorem, paralysin, deliria, lethargum, apoplexiā cum frigore extremorum, morteque lenta, inducunt. In iis praecipue, qui hoc uenenum in maiori acceperunt dosi, horridus est oculorum aspectus, iidemque cum tota facie rubentes protuberant, & truces ac feroces apparent, & nisi subito opem feramus, tetano uel epilepsia misere excrucianti, confessim pereunt. Periisset haec ratione rusticus cum filia, cuius BONETVS (s) facit mentionem, qui, postquam radices hyoscyami, pro pastinaca male habitas, comedissent, in profundissimum inciderunt somnum, nisi uomitione, usque castorei illis repentinum auxilium fuisset allatum. Malam narcoticorum qualitatem & uim experta quoque foemina apud RIDLINVM (t), que ab unico grano extracti opii cydoniati tam male se habuit, ut iamiam mortem sibi instare metueret, & Medicum media nocte accersire, qui ordinato remedio salino uolatili oleoso eandem perse-

G

etie

(1) Dissert. de somno & somniferis. (m) Pharmac. ration. sect. 7. cap. 3. p. m. 123. (n) Dissert. de genuina opii correctione atque usu §. 5. p. II. (o) Amoenit. Mat. Med. I. 2. §. 2. cap. 14. & in Opiologia p. 54. & sq. (p) Lib. 2. de sensu cap. 17. p. 229. (q) Lib. de occult. Nat. Mir. lib. 2. cap. 52. (r) Anat. Pract. P. 1. S. 3. obs. 41. (s) L. An. Pr. Tom. I. I. S. 3. obs. 4. append. p. 172. (t) Libr. Cur. Med. Cent. 9. obs. 51. p. m. 591.

Et ac restituit sanitati. Peribat his neglectis, consiliarius ille Anhaltinus SALM VTHO (u) memoratus, qui opium pro apio, per Medici *πατογεαθιαν* & Pharmacopaei inscitiam atque imprudentiam, accipiens, in profundum somnum incidit, quem agnati pro mortuo habentes, unum adhuc terrae in templo cathedrali Vitembergensi mandant.

XLVII. Ex allegatis obseruationibus iam liquer, quae methodus medendi, ad uim uenenorum opiatorum infringendam, si necessaria; ante omnia promtissimae emeticum operationis praescribendum; reiectis iam, quae in uterino hacrebant, massae uirulentae reliquis, ad salia uolatilia oleosa, castoreata, succinata & cinnabarinia confugiendum, ac praescripta infuso Thee Boy in leni sudore aegrotus detinendus. Requiretur aliquando ad aegrotam, quae a Medico infami remedium opiatum ad sistendam uteri haemorrhagiam accipiens, in tantam, eo hausto, cordis anxietatem, in tam uehemens asthama cum sudore frigido inciderat, ut, quo se conuerteret, nesciret, & iam iam se mori assiceret; perspecta huius mali origine, liquoris cornu cerui & essentiae castorei portionem aqualem ad guttas triginta in infuso Thee Boy quoouis bihorio sumendam praescriebam, quibus quidem adducta symptoma paulisper remittebant, hinc, cum, haec nondum sufficere, obseruarem, guttas decem olei destillati succini superiori mixturae addebam, quo facto, omnia mala penitus disparebant.

XLVIII. Ex catalogo uenenorum lethiferorum antimoniun crudum & auripigmentum, quod uereres cum recentioribus quibusdam pro arsenico flavo habebant, excludenda esse, HOFFMANNVS (x) affirmat, hac addita ratione, quod non modo ipsorum mineralis draistica portio ira particulis sulphureis ligata atque inuoluta sit, ut fibras nervosas minus arrodere & lancinare possint, sed multi etiam homines aliaque ani-

man-

(u) Libr. obsf. Med. Cent. 2. hist. 90. (x) Dissert. de Lacif. Extern. Venen. abort. & Philtris p. 28. & 29.

mantia innoxie eadem deglutiant. Haud negandum, haec uenena praecipuam vim a pondere habere, & sulphur illorum cum salina metallica substantia tantopere & tam firme compactum esse, ut difficillime, & non, nisi per acria sui generis, solui queat. Certum pariter, multos non innoxie modo, sed cum summo emolumento, crudum antimonium adhibere; ipse noui historiani virginis, chlorosi pertinacissima laborantis, quae frustra, diu aliis adhibitis medicamentis, per decoctum lignorum & que antimonii crudi usum restituebatur. Simile exemplum de studio noxi, qui diu uariis a malo hypochondriaco deductis symptomatis confitatus, morae impatiens, antimonio crudo puluerisato in infuso fumariae, cum sanitatis perfectae restitutione, usus fuit. At enim uero quis a particularibus ad universale argumentabitur? ac quis ita concludet, qui difficillime portio mineralis draistica antimonii crudi & auripigmenti a succis corporis nostri soluitur, ergo eadem in nullo subiecto plane non solui potest; considera, uenena in nostris corporibus generari, quidni uenena ingesta temporis subsidio solui possent? Respice ad aeres, qui in multorum hominum corporibus reperiuntur, succos, sufficere eosdem soluendis huiusmodi uenenis mineralibus, animaduertes. Quot praeterea ex antimonii crudi & auripigmenti usu in uehementes eosque cruentos inciderunt uomitus, quos dysenteria cum intestinorum inflammatione & morte secura fuit? Quot haemoptysis cum succedente phtisi pulmonali, ex dictorum uenenorum deglutitione, mercedis loco reportarunt? Quot exinde, alia eaque ab antecedentibus discrepante ratione, his uenenis assumptis, perierunt? His ita constitutis, tardioris haec uenena operationis esse, & hinc ad lenta & temporanea merito referenda iudico, dum ad eadem soluenda longior temporis mora requiratur, atque ad promouendam eorum, tanquam corporum ponderosorum, operationem magna solidorum uis necessaria sit.

XLIX. His pharmaci simplicioribus alii minus contenti,

G 2

dixer-

diuersas res noxias combinando, uel perniciosa utilibus aliquantulum temperando, subtiliora adhuc uenena moratoria, in humanae detrimentum machinae, praeparant. Sic PAVLLINVS (y) assert uenenum temporaneum, & terminatum, ex bufonibus, sale & spiritu uini inuicem mixtis & destillatis, confectum, quod parum ab aqua illa, cuius præparationem capite duodecimo ex PORTA Neapolitano adduximus, ex arsenico, sulphure & calce uiua similis uenenum indolis per calcinationem parari, alii edocent. Ex aconito, cum sale tartari & mirrha mixto, affuso spiritu uini, essentiam parari, quae ad guttas aliquot data, eundem præster effectum, WECKERVS (z) affirmat. His uincendi similia, si non deteriora, quae communicat PORTA (a) ad hecticam excitandam, experimenta chymica prijum hunc in finem aqua, ex plumbo in tenuissimum puluerem seu calcem mutato, & cum sale aceto peracri affuso distillatione adiumento parata describirur, cuius si cyothus in mens exhibeat, idque sexies innouetur, tristem accedere hecticam, tradit. Alios exitiale longo tempore morbum hac operatione chymica moliri tradit, cerussae, inquit PORTA (b) aeruginis, lithargurii & minii partes aequales sumunt, succi squillae, quantum ad ea cogenda sufficit, addunt, uitreo in uase ponunt, quo fimo quadragesita immoretur diebus, postea extrahunt, extractum cum hominis sudore miscent, illique, quem mori volunt, præbent; sic diurno languore & in longam temporis intercedinem extiosam detinent uitam.

L. Contra haec autem uenena terminata & temporanea, decoctum glycyrrhizae, in quo parum seaminionii puluerisati solutum sit, tanquam præsentissimum remedium, quod illico aerorum liberet, commendat. Hunc quoque in finem aquam & columbino stercore, corticibus ouorum, quarta piperis parte & thuris exigua quantitate, ac lixiuii e farmentorum cineribus patrati

(y) Tr. de Bufone Sect. 1. cap. 3. §. 45. (z) libr. Secret. Med. Phys.  
(a) Mag. Nat. lib. 2. cap. 19. p. 133. (b) lib. loc. & pag. cit.

rari dupli portione uasis uitreis destillatione confectam laudat; sumto enim de dicta aqua primo mense septem diebus cyatho, undecim secundo, & quatuordecim tertio, usque ad sextum, uim ueneni extingui, perhibet. Praeterea si iam adsit macies, aquam ex herba personaria cum remixione nucleorum pinearum paratam, diebus singulis ante prandium, doceat sanitati perfectae restitutus fuerit, hec uero sumendam praescribit. Quantum uero emolumentum ab his remedis sit expectandum, facili negotio ex eorum ingredientibus dijudicari potest; nam eadem, praesertim in principio exhibita, aliquam hic afferre utilitatem, non diffundendum, at enim uero, quando iam inueteratum est malum, & haec & generoflora adhuc antidota in cassum praescribi, dum cum experientia docuit ratio.

L.I. Alii penitus ad sic dicta uenena sympathetica & magica configiunt, haec cum tarde operentur, ac lentam inducent corporis consumpcionem, temporanea & chronicā recte dicuntur. Huius loci est historia, quam VALENTINI (c) de Ioanne Henrico Brothum adducit, qui equis concinnum, in illius pratum irruentibus, aliorum suauis, cespites usfigiis ungularum equinarum notatos cum relictis illorum excrementis in camino suspendit, unde equos in lentam tabem incidisse, eaque periisse, dicto autore asserirur.

L.II. Quidam longe alio, quam occidendi animo, ex ignorantia, huiusmodi lenta & temporanea uenena exhibent, ut philtorum exemplo constat, quorum usum, loco murui amoris, phtisis, miserae, post multa tolerata mala, mors sequitur. Hoc Petro Lotichio Bononae, ut narrat FREYTAGIVS (d) euenit, qui accepto poculo amoris, diu graui afflicitus morbo, contabuit penitus, omnibusque spoliatus uiribus, obiit. Hoc experitus quoque sponsus ille apud RONSAEVM (e) qui accepto a sponsa philtro, potius ueneno temporaneo, ut nuptias acce-

(c) in Corp. Iur. Med. Nouell. App. I. Caf. 50. p. 315. (d) Noft. Med. cap. 16. (e) lib. epift. 48.

leraret celebrandas, in atrophiam, nullis curandam remediis, sed in mortem desinentem, incidit. Tali quoque ueneno, nempe sanguine menstruo, efferto & corrupto, Lucretium Carum, matritum, Lucila, amorem impensiorem in eodem erga se excitatura, uti RHODIGINVS (f) refert, interfecit.

LIII. Restat adhuc tertia uenenorum occultorum classis, quae delibitoria dicuntur, & sub se quasunque res externas ueneno imbutas complectuntur, de Turcis CARDANVS (g) SCALIGERVS (h) & BARCLAIUS (i) referunt, quod non modo unguentis suauolentibus uirulentam admisceant massam, sed ephippia quoque & strophiola ueneno imbuant perniciose. Solo furo & odore mortem induci, memorat PÖRTA (k), si humani cruroris substantiam terream & crassam, quam fecum nomine allegatus autor comprehendit, detraet aqua, exiccamus, siccata cum styrace commisceamus, mixtam carbonibus uiuis iniciamus & suffumigemus. Pannis & linteaminibus diro bufonum ueneno conspurcatis, genitalia uirorum organa ab infami meretricum genere tangi, idemque patrari scelus, commemoratus modo Neapolitanus perhibet. Aconito & rebushujus succo imbutis si tangantur foeminarum pudenda, easdem emori, Calphurnii experimenta docent, qui, ut ditesceret, hoc stragamente usus, dormientes sustulit uxores, in quem merito exinde & iuste apud Plinium (l) M. Coelius inuehit. Cum uero tam dira tam atrox ueneni aconito inherarentis uis sit, nescio, quo temerario ausu incitatus cuius ille Kesmarkinus Hungarus, cuius Epemerid. Nat. Cur. Dec. t. Ao. 3. fit mentio, radicem aconiti in Carpathiis montibus prognatam tertiana laborantibus febri ad drachmae pondus exhibere potuerit. Multi flores, linteamina, chirothecas, literas, faces & similes res cum ueneno ita praepare sciunt,

(f) Antiqu. leſt. lib. 14. cap. 14. (g) de Venenis libr. 1. cap. 15. (h)  
Libr. de Subtil. ad Cardanum exercit. 154. (i) Icone Animorum cap. 9. (k) libr. 8 loc. cit. (l) H. N. lib. 27. cap. 26.

sciunt, ut usurpata mortem, quemadmodum ex HELMONTIO (m) disimus, inducant. Hoc modo Otto Tertius obmutilatum & misera ratione occisum Crescentium, ab illius coniuge, chirrothecis miro ingenio affabre factis & miasmate uirulentō perfusis, quas muneris loco Caesari dedit, uita priuatus fuit; paulatim enim, uti annales loquuntur, intoxicatus & consumitus, dum redditum meditatur in Italiā, decimo imperii anno periit. Nummo argenteo ueneno imbuto filiolum, quem propria & bestia crudelior mater, Antonii, Boscoli coniux, illi frenae loco dedit, interemtū fuisse, ex SCHENCKIO (n) cognoscimus.

LIV. Discrepantes uenenorum species hic enumeratas habemus, diuersa eorum principia & operatio explicata, uaria subministrata antidota, multiplicitis generis indicia adiuncta, at enim uero pathognomonica eorum signa, certaque criteria adhuc defant, nec eadem ullus suppeditabit; adeoque Medicus in iudicando minus praeceps sit, & antequam certi quid de huiusmodi uenenorum propinicatione pronunciet, fidam fundatamque de facti specie & corpore delicti notitiam habeat, necesse est; nam ea omnia, quae enumerauimus, symptomata, ab aliis & penitus diuersis causis excitari possunt, ita, ut saepius falsa sit, quam folum, suspicio, omnes enim diuersorum semina uenenorum in nostris corporibus gerimus, quae causis occasionalibus aucta atque in actum deducta uehemenrissimas turbas excitant. Quot fortiore mentis perturbatione & commotione, ira, tristitia, iniuria, sibi maxima corporis mala ipsamque mortem accrescuerunt? Quot ex nimio ueneris usu in febrim lentam, uariis iisque miris symptomatis stiparam, incident? Quot ex naturali & haereditario solidorum & fluidorum uitio, uitam continuo morbis misere afflictam ducent? Quot peruerfa uictus uiuendique ratione maxime iniurii sunt in proprium corpus, destruen-

---

(m) Tumulo Pestis. (n) obseruat. Medic. de Venen. lib. 2.

destruendoque viam solidorum & corrumpendo succos uarii morbis genili ipsius praematurae morti fores aperiunt. Alter se res haber, & culpa probabiliter temporaneis imputanda uenenis, quando homo bene constiturus, sanis satus Parentibus, & paule ante negeto robustoque praeditus corpore, temperantiam in omnibus fedulo obseruans, nec excessum in uictu, nec in animali pathematibus, aut aliis huiusmodi rebus, committens, nec externis laesus atque affectus iniuriis, iis, quae supra commemorauit afficitur, incommodis.

LV. Nec tum putes, rem satis cuiusdam atque ad liquidum penitus deductam esse; generantur & latent quandoque in eorum corporibus, quae exactam uictus uiuendique rationem obseruarunt, & dehinc per longius temporis spatium optime se habuerunt, nec ulla afflictæ sanitatis incommoda senserunt, uenena, seu causæ morborum grauiorum, quæ deinceps, accedente causa leuiore occasionali, ad actum deducuntur, & uel drepente, uel pedenterim & successiue, suam operationem perficiunt. Multi hac ratione, quibus, quid sit dyspnœa, quid tussis, quid haemoptysis, quid phtisis pulmonalis, penitus ignotum fuit, & qui ab omnibus, quæ horum morborum generationi fauent, abstinerunt, diu iam in pectorc abscessum illis plane ignotum occultarunt, qui deinceps drepente diætorum symptomatum syndrome & praesentia confestim se prodit. Idem in scirrhis lichenis, pancreatis, aliorumque uiscerum, mortis lentæ & miserae cauam constituentibus obseruare licet; ipsi enim aegroti in principio non credunt, se aegrotare, & infirmitatem praesentem pro leuioris re momenti reputantes, opportunum medendi tempus negligunt, & partium superiorum tabe, inferiorum tumore hydroptico affecti, miseram demum uitam derelinquent.

LVI. Cum igitur illi, qui duris diaetae regulis exactum praestant obsequium, tot & tam uaria incommodorum genera, tot calamitates, perferre teneantur, in quo statu illi, qui nulli adiæti ordini, liberam, camque peruersam uiuendi rationem, sibi feliciter

feligunt, uersentur, hinc liquet. Operae itaque pretium erit, *per̄ψωδιαν* per res nobis consuetas instituere, easque, quae inter alimenta, potulenta, & medicamenta uistratoria, saepius tempora-nea per abusum uenena euadunt, breuissime recensere atque explicare.

LVII. Ordinem hic dicit infusum herbae Iaponensis Thee, Thee Buy, quod frequentissimo apud quasuis gentes iam in usu est, atque a plurimis, scopo sanitatem conseruandi, & morbos praecaendii, adhibetur. Non iam litem denuncia-bo manibus BONTEKOE, qui dictum infusum pro panacea & medio, ad longam perueniendi uitam, habebat; nec cum iis disceptabo, qui allegatam herbam uenenis narcoticis annumerant, horum saltem hic iniiciam mentionem, quae experientia, ratione sana adiuta, docet & demonstrat. Larga, quae huic herbae siccatae aquae calidae quantitas assunditur, plurimum hic praelat, atque ab eadem praecipua huius herbae uirtus depen-det, dehinc modicus illius usus in ulde conduit, quibus tenue deficit serum, massa uiscida excedit, & solidarum partium rigi-ditas atque ariditas peccat. Verum enim uero continua atque immoda illius ordinarii loco potucenti ingurgitatio maximo-pere obest, ac cumprimis iis, qui laxioribus fibris instruti sunt, & seri tenuis excessu ac flaccido & tumido totius corporis habi-tu laborant, plurima afferrt incommoda; magis enim magisque nimio huiusmodi calidae aquae potu uilli uenriculi jam debili-les & flacci relaxantur, iidemque seri hinc ingurgitati copia nimis aggrauati & distenti, minus promte se contrahere, & ci-bos assumentos attenerere, diuidere, attenuare, & in fluidum, nutri-tioni conuenientis, transmutare possunt; hinc uberior diuersi crudiratum genii, cumprimis massae uiscosae & pituitae imme-a-bilis prouentus, hinc plurimorum morborum fundamenta, hinc sanitatis uenena lenta, hinc cumprimis apepsia, brady-pepsia, hydrops, leucophlegmatia, quibus praemature homi-nes, dum longaeuitati student, a uiuis surripiuntur. Accedit

H

&amp; hoc

& hoc, quod ingurgitatione infusi Theae nimia, nimis aquosa euadat limpha gastrica, eaque, omni stimulo & vi soluendi destituta, ventriculi augeat inertiam, & tum appetitus prostrati, tum tardioris, difficultioris & corruptae chylificationis causa simul euadat. Infuso Theae & Thee Boy, ut medicamento, diluendi gratia, non nero, ut potulentio ordinario, uti debemus; quod probe quoque obseruandum de infuso ueronicae, betonicae, salviae & similiu[m] herbarum, radicum lignorum, quibus sanitatis ergo plures quotidie, mane & vesperi, utuntur, huius nero loco sibi omnis generis infirmitates & praematuram uitiae destructionem per abusum accersunt.

LVIII. Ex his iam luculenter demonstrari potest, quam grauis, quam perniciosus sit error eorum medicorum, qui sic dictis hypochondriacis, & quibus aliud segnissimum officium facit, scopo largius humectandi, obstruktiones referandi, & perfectam sanitatem procurandi, uberiorum potulentorum usum promiscue commendant. Minime enim credendum, homines, qui ficiores apparent, tenuis defectu feri semper labore, sufficiens saepe limphae quantitas adest, & sanguini & nutrimento & ipsi excremento uehiculum praebens, atque aridior externarum partium habitus a compactiore fibrarum, ex quibus componuntur, fabrica dependet. Praeterea praecipua sic dicti malii hypochondriaci causa atque origo a uillorum, uiscera confluentium, laxitate, debilitate, inertia, & hinc proueniente tardiorre succorum motu, uisciditate, atque in extremis ualorum apicibus haesitatione, depender; haec autem longiore potus quantitate h[ab]end emendari, multo minus tolli, possunt, fibrae potius ventriculi & reliquorum uiscerum iam minore robore & vi oscillatoria praeditae, potus assatim, & in maiori, quam conductit, copia hausti, quantitate pressae, distentae & relaxatae, omnem pernitit tonum, omnem vim, se prompte contrahendi, amittunt, sanguis nimis aquosus redditur, hinc de mala illius indole omnes liquor[es], cum primis succus nervosus, cuius bona dispositione

maxi-

maxima sanitatis ratio innititur, participant; exasperantur hoc modo non modo antiqua, quibus antea affligebatur, symptomata, sed noua quoque accedunt, & morbum longe deteriorem reddunt. Si modo ad ea, quae uentriculus apud SVALVIVM (o) ira loquens dat monita, attenderent: tolerantia mea cuius securissimum bibendi modum praescribit; verum, proh dolor! omnem eriam circa potum in praecepsiti uitium stat. Iugiter ille quidem plerisque continuatur, etiam ubi coctionem inchoauit, eo interpellante fatigor, turbor, & serius minusque exacte munus meum exsequor, hinc morborum seminaria. Quin primo mensae accubitu, ab ingurgitato aude potu, prolui latera mea, saepiuscule sentio, unde, postmodum fluctuare cibum, contingit. Noui typographum, qui haec, quae SV AL VI V S nomine uentriculi protulit, suo exemplo suoque damno probat & confirmat; ille enim uariis uentriculi & intestinorum morbis & cum primis frequenti alii constipatione affectus, Medicum consulens, consilium idem accepit, ut scilicet maiore, quam antea potus ordinarii mensura, nempe octo de die libris, uteretur. Exactam praecopro Medici obedientiam praefstat typographus, & de praescripta potus quantitate deglutienda maxime sollicitus est; ast tam infelici idem perficit successu, ut breui uomitus cum appetitus prostratione successerint, ita, ut & hodie, quasi temporaneo afflatus ueneno, ex hac medendi methodo incommoda sentiat. Machina enim humana ad eorum usum, quibus non eger, uia haud compellenda; adest ad sufficientem seri, corpori necessarii, usum sensus sitis, qua praesente, porculenta conuenientia in decenti quantitate usurpanda, illa uero absente, minime conuenit, cum nausea potulenta ingurgitare. Haec attenta secum mente examinasse uidetur COR NARVS (p), qui ad duodecim uncias cibi, uix unquam trientem supra libram hausit, eaque temperantia effecit, ut non modo integra & constanti frueretur sani-

H 2

tare,

(o) Libr. qui inscribitur: querela uentriculi p. 155. (p) libro de  
commodis uitiae sobrie.

tare, sed eadem quoque ad centesimum usque annum tartam restamque conseruaret.

LIX. Parili modo potus, qui ex tostis Coffeae fabis paratur, si frequenter, si in maiori quantitate, si promiscue a quibusvis, si praesertim pomeridiano tempore usurpetur, haud raro in uenenum temporaneum degenerat; auolant enim per tostionem particulae salino - uolatiles, solo relicto oleo narcoticō & terra obstruente & constipante. Hinc obserues, illos, qui angustioribus praediti uasis, succisque tenacioribus & uiscidioribus instructi, post dicti usum potulent, cum primis saturatioris, angustiam praecordiorum, cordis palpitacionem, anxietatem, inquietudinem, tristitiam, peruigilium & plura alia incommoda sentire. Augetur quippe particularum terrestrium & oleofarum, in dicto potu excedentium, praesentia, praesens iam in huiusmodi subiectis lento, & tardus iam sanguinis per angustiores tenuiorum uasorum conicorum apices progressus magis magisque retardarur, succique crassi, limosi & terrestres hinc & inde penitus haerent & subsistunt, ac facto semel cohaesionis principio, ob continuum similium particularum successum & combinacionem, obstrunctiones & suffarctus in tormentosis ductuum capillarium extremitatibus, quae nouo sanguini, a tergo succedenti & continuo affluenti, remoras & obices ponendo, regurgitationis & hinc reliquorum succedentium symptomatum autores existant, generantur. Econtra comperies, modicum & rarum huius potus usum illis, qui succis feruideribus & tenuioribus gaudent, nihil mali apportare, sed eundem potius acres temperando particulas, solidorumque uillos corroborando, secretiones alii, sudoris & urinae promouere, ac prosperam & firmam ualeitudinem conseruare. Quantopere hinc illi a uero aberrent, manifeste constat, qui tostis Coffeae fabis & parato hinc potui specificam sterilitatem inducendi uim attribuunt; in uegetis profecto subiectis, quibus bona parvum genitalium adest constitutio, & qui sufficientem succorum gelatinosorum copiam possident,

dent, dictum iufusum, modice praeſertim usurpatum, ueneris oeftrum minime inſtrinet, potius promouebit. Contrarium autem deprehendas in ſubiecto debiliore, pituitae & particularum terreftrium farragine oppleto, & minore ui oscillatoria organorum genitalium praedito. Ex hac claſſe fuifſe regem Persiae Sulthan Mahmud Kahn, qui ual dopere delebat, potu Coffeae, minus strenue autem debitum coniugale perſolutebat, nec poterat, unde Regina omnem culpam in Coffeae inſufum coniiciens, cum aliquando ex feneftra conficeret equum educi, quaerens, quem in finem id fieret, hoc responſi tulit, equum, quo priuaretur animoſitate, alii insultandi, caſtrandum eſſe; ad quod regeſſit Regina, hanc methodum caſtrandi minus necessariam eſſe, cum per nefarium Coffeae potum eneruari, ipſique Regi ſimilis fieri queat.

L. X. Haec paradoxa uidebuntur multis, multique, qui diſtis porulentis delebat, eadem dogmata tanquam abfona reſpuent, aſt in fine cum ſummo sanitatis detrimento eorum ueritatem & certitudinem nimis ſero experientur. Experientur idem, & candem, ſi non maiorem, adhuc calamitatē, qui ad aromatum frequentem uſum configuiunt, iisque quaevis alimenta & porulenta conidunt, firmiter perſuasi, eadem optima eſſe medicamenta cardiaca, quibus non modo cordis, ſed totius corporis robur quam diutissime conſeruari queat. Multum autem a uero & recto illi aberrant, haud perpendentes, piper, zingiber, caryophylla aromaticā, cardanomum, cubebas, cinnamonum, maceam, & alia, quae ad aromatum claſſem referuntur, eſſe remedia maxime acria, cauſtica arque ignea, quae faltem in aegrotis, ſeri abundanta partiumque ſolidarum laxitate laborantibus, in modica doſi interdum uifupanda, minime uero quotidie cum alijs alimentis & porulentis a quibusuis deglutienda. Acribus enim ſpiculis, quibus aromata abundant, partium ſolidarum uilli elati ci nimis irritantur, inflammantur, ſerosae tenues ſanguinis moleculae diſſipantur, residuae in maſſam uifcidam atque imme-

bilem abeunt. Liquet hoc ex sola aromatum masticatione, quae dolorem urentem, cum linguae, palati & faucium inflammatione, quandoque erosione, saliuac tenuis expressione, & reliquae coagulatione, excitat. Unde facile concludere licet, eadem incommoda atque iniurias in aliis partibus rigidioribus praesertim & sero uiscido minus obductis, per quas progrediuntur aromata, esse expectandas. Haec quippe omnium aromatum sale uolatili oleoso, eoque acriore, abundantium est natura, ea uis & potentia, ut cordis quidem omniumque fibrarum motricium contractionem augent atque accelerent, sed idem non in machinac conseruationem, sed illius celeriore corruptionem atque interitum, contingit; quo magis enim fibrae stimulantur atque exagitantur, eo citius exarescent, exiccantur, ac iunciae strigofaeque redditae, omnem uim & tonum amittunt, idemque huiusmodi hominum corporibus evenit, quod in arboribus, in praeccos artificio fructus sollicitatis, deprehendimus, quae, quo tempestiuus uigent, & fructuum copia superbiunt, eo citius languent & praemature pereunt. Medicinam ergo, quam aromata constituent & praebent, modicum praesertim & conuenienter illius usum relinquamus curae morborum, qui a serofae & uiscidae excessu massae & nimia fibrarum motricium laxitate & flacciditate proueniunt, alias eadem nobis, febres continuas, cum uehementi inflammatione aut chronicos morbos, atrophiam, hecticam afferendo, pessima tempora nea hominis sanitati uitaeque maxime inimica uenena euident.

LXI. Ac quis, perpensis iis, quae supra explicavi, de detimento, quod multi uini, spiritus uini, aquarum uitae, effentiarum amararum bezoardicarum & aliorum potulentorum & medicamentorum spirituorum, quibus, ventriculum reliquaque uiscera depurandi & confortandi scopo, multi quotidie utuntur, abusu sibi accersunt, dubitabit? Minus necessarium, ne dicam frustaneum, noxiā harum rerum in nostro corpore operationem pluribus demonstrare, demonstra-

monstrationes antecedentes idem satis superque euincunt, docent idem dictorum remediorum principia, & funestis quotidianis observationibus huius asserti certitudo confirmatur. Nec saltem in eo ab iis, qui Medicinac expertes sunt, peccatur, sed ipsi etiam Medici, qui Doctoris nomen gerunt, haud raro maxime in aegrotos iniurii sunt, multosque adductorum remediorum abusu praemature Charontis cimbae tradunt. Quot febribus continuis, petechiali, miliari & variolacea laborantes, qui nitratis, serosis, subacidis & terreis acido saturatis conseruari possint, hac methodo, hoc est, peruersa uolatilium spirituorum, cardiacorum & bezoardicorum praescriptione interimuntur? Quot aegroti ietero, uiscerum obstructione, aliisque morbis chronicis laborantes, iisdem, quae modo commemorauit, remediis, ita extorrentur, ut, omni recuperandae perfectae & prosperae ualeutudinis spe euanescente, citius, quam fieri debebat, evita secedere teneantur.

LXII. In aromatum catalogo decantatum illud febrifugum, quod cortex Peruvianus seu Chinchina dicitur, a nonnullis allegatum reperio, sed, si illius principia & uirtutem perpendo, maximam inter commemoratum corticem atque aromata differentiam animaduerto. Nam cortex Peruvianus uolatili oleoso destitutus sale, paucis salino fixis praeditus, particulis praecipue terrestribus & narcoticis, proxime ad naturam opii accidentibus, abundat; unde idem sytolen cordis temperando paroxysmum suspendit, minime vero ad materiae febrilis correctionem atque euuationem sufficit. Et licet interdum usum Chinchinæ frequentiores alii diectiones sequantur, idem non, nisi per accidens, contingere, ac rigidioribus dicti corticis particulis tribendum esse, autumno: Nam quo minus de opiate corticis Peruviani uirtute incerti atque ancipites simus, suader HOMBERGII experimentum, quo Chinchina, in aqua fervente diutius decocta, filtrata atque inspissata, massam non modo opium odore & colore referentem, sed eundem quoque effectum

effectum exerentem produxit. Ex iis autem, quae dictus cortex obtinet, principiis ad liquidum perducitur, eundem non esse specificum atque uniuersale quarumuis febrium intermittentium remedium, sed in iis saltem morbis usurpandum, quorum origo a fibrarum laxitate & succorum acrimonia dependet, in illis econtra ueneni instar, angue peioris, fugiendum, quorum ratio formalis in fibrarum rigiditate ac succorum tenacitate consistit.

LXXXIII. Nullum ita inuenias medicamentum, nullum alimentum & potulentum, nullam inter sic dictas res non naturales, cuius abusus non sit perniciosus, & pedentim destruendo uim & robur solidorum, ac peruertero integratatem bonaque mixtionem fluidorum, successiue sanitatem auferat, & diuersos inducendo morbos, uitiae terminum acceleret. Sic motus conueniens, conuenienti suscepimus tempore, optima est corporis medicina, & plurimum ad procurandam longaeuitatem praefat; idem tamen, si nimis uehemens, si illico post pastum suscipiat, in iis praecipue, qui illi minus affueti, qui partes solidas aridiores & rigidiores succosque tenuiores & acridores possident, primarum uiarum cruditates, succorum uitalium, in specie limphae gelatinosae, quae corporis impendenda nutritioni, colligationem, successiua totius machinae extenuationem, ac prematuram, licet lentam, mortem assert.

LXXXIV. Nihil igitur in tanta rerum machinae humanae integratatem tam uario modo peruertentium farragine determinatu difficilius, quam iudicium de morte ex ueneni proprieita dicti propinatio, & hoc eo magis, si idem fuerit temporaneum & terminatum; idem enim, ut loquitur CARDANVS (q), ob paucitatem, aut ob admixta dulcia & bene olenitia, aut propter coniuii hilaritatem, quandoque imo per saepe latet. Hic alia, alia ille allegat signa, & omnia, quae apud

(q) Contr. Med. lib. 2. Tr. 5. Contract. 10.

apud autores Medicinae Forensis adducuntur, minus sufficiunt, cum, uti iam supra monui, eadem symptomata ab aliis, iisque in corpore iam haerentibus, causis possint produci. Ad indicia ergo, quae capitibus antecedentibus, occasione cuiusvis ueneni adduxerat, non respiciendum modo, sed etiam, si moriatur, qui uenenum accepisse dicitur, medico-legalis cadaveris inspectio necessaria, quo constet corpus delicti; hoc praefente, Facultatis Medicac iudicium de ueneni propinati qualitate, quantitate & illius in corpore defuncti operatione subiungendum, ut certo appareat, an ex solo ueneno, vel alia in corpore occulta causa simul perierit, atque, an exhibiti ueneni dosis ad mortem inducendam sufficiens fuerit, his iam demonstratis atque in apricum deductis, poena determinatio Iuris Consultis relinquenda. Uti uero haec facilius in sic dicti ueneni praesentanei, quod cito perimit, propinatione expediri possunt, ita difficillimum, ne dicam impossibile, negotium est, exhibiti ueneni, lenti & terminati praesentiam deregere, & de morte hinc secuta sententiam ferre, eadem quippe insensibili modo corpus afficiunt, & non, nisi tarde sub specie febris lentae, occidunt. Nullam aliam uiam hanc difficultatem remouendi video, quam apparentibus huiusmodi ueneni signis, quae iam suppeditauit, inhibiti callidaque persuasione, aut, si circumstantiae id permittant, instituta rigorosa in personam suspectam inquisitione notitiam ueneni propinati acquirere, eaque impetrata expendere, an a ueneno, vel morbo corporis ueteri perierit potionatus. His uero detectis atque evictis, eadem, imo grauiore adhuc poena, afficiendus erit, qui tale uenenum chronicum propinavit: Την δ' ἀντὴν υπομενέτωσαν τιμωρίαν, inquit PHILO IVDAEVS (r) παῖς ἐστι τινες Θανάσιμα μὴ συνιθέντες, τὰ δὲ ὄντα μαρτυρίαν απαγκευαζοταν νόσοι, πέρισσοι φέρωσι. Θάνατοι γαρ πολλακις αἰρετώτεροι νόσων εἰσὶ, καὶ μᾶλιστα τούτων, οἷς μῆκος τοῦ θανάτου αποτείνονται, καὶ τέλος ἔχουσιν ὡς αἰσιούς, hoc est, eadem poena,

(r) libr. de special-legibus. p. m. 792.

(neimpe capitis,) manet eos, qui non lethifera uenena, (praesentanea scilicet, sed lenta,) conficiunt, longos morbos ac tamem inferentia; nam saepe satius est, emori, quam aegrotare, praesertim diuturno morbo, non habituro felicem exitum.

LXV. Poena uero uenena tam conficientium, quam propinantium, uaria apud diuersas gentes erat; in eo tamen omnes conueniunt, quod capitis poena sint punienda, qui tale patrant scelus. Israelitis tanto cum rigore interdictus erat uenenorum usus, ut ne quidem, eadem in domibus habere, licitum esset, sed, qui uenena possidens deprehendebatur, interficeretur, ut ex JOSEPHO (s) perspicimus, qui ita de hac re scribit: Φάρμακον μήτε θανασιμόν, μήτε τῶν εἰς ἀλλας βλάβας πεποιημένων Ισραηλιτῶν ἔχεται μηδὲ εἰς ἑαν δὲ ιεντημένῳ Φωραδῆ, τεθνάτῳ, ὅντα πάχαν ὃ διεθηκεν αὐτῷ ἐπείνας, καθ' ὃν τὸ Φάρμακον ἦν παρεσκευασμένοι, hoc est: uenenum neque lethale, neque alias noxiū, quisquam Israelitarum penes se habeat, quod si habere deprehensis sit, morte multetur, & patiatur id, quod facturus erat illis, aduersus quos uenenum parauerat. Eadem & seuerior adhuc est sententia PHILO-NIS IVDÆI, (t) qui illico nulla data mora, nullaque concessa defensione, ad supplicium ueneficos trahere iubet: ὅτινι κελάues νόμῳ, sunt illius uerba, Φαρμακευτὰς καὶ Φαρμακίδας μηδεμίαν ημέραν βιών, ἀλλ' ἀμα τῷ αἰλῶνται τεθνάναι, μηδεμίας ὄγγυσμάντις περιφέσσοι εἰς αναβολὴν καὶ ὑπερέθεσιν τιμωρίας, id est, ideo lex uult, ueneficos & ueneficas ne unum quidem diem uiuere, sed mori, quam primum deprehensi fuerint, nec ullo pacto differri supplicium. Persae antiquis temporibus, PLVTARCHO (u) & RHODIGINO (x) idem docentibus, illorum, qui uenena elaborabant & propinabant, capita lato imponebant faxo, alioque similis magnitudinis & figurae lapide percutiebant, contundebant, atque in minima frustula

con-

(s) Antiquit. Iudaic. lib. 4. cap. 8. p. m. 128. (t) libr. alleg. p. 791.  
(u) ibz. Artaxerxem (x) Antiqu. Left. lib. 3. cap. 5.

confringebant, quod supplicii genus experta, secundum PLV-TARCHI (y) testimonium, Gigis, cuius adiumento Parisatis, Artaxerxis mater, statiram, eius uxorem, aemulatione mota, sustulerat. Apud Romanos, ut idem elegantibus metris describit IVVENALIS, (z) facinorosorum ueneficorum genus Culleo, h. e. faccio coriaco cum cane, gallo, serpente ac simia insutum, in flu-men praecipitabatur ac suffocabarunt.

LXVI. Lex Cornelia non solum illis, qui uenenis, sed & qui fusurris & characteribus magicis usi sunt, & mala medicamenta publice uendunt, capitibus adjudicat poenam; cum qua conuenit lex a CALLISTRATÔ (a) lata, sequentis tenoris: uenenarii capite plementandi sunt, aut si dignitatis respectu agi oportuerit, deportandi. Specialem capitibus poenam, eamque grauiorem, illis nebulonibus, de quibus hic sermo, Constitutio Criminalis Caroli V. dictat, articulo centesimo trigesimo ita se habente: ueneno hominem dolo malo & medio tollens, pro sexus diuersitate, si mas, rota contundi, si foemina, in aqua suffocari deberet. Quo uero magis absterreantur homines ab hoc delicto, aliquando poena iam dicta accidente, uel trahae impositione, aut forcipum ustulatione, augeri potest. Ab hac Constitutione paucis differit Ius Saxonicum, (b) quod praecipit, ut hominem ueneno occidens ignis supplicio afficiatur, sed, uti docet usus, uix uspiam haec poena in praefenti casu instituta, sed ordinario idem obseruantur, quod allegatus Constitutionis Criminalis articulus iniungit.

LXVII. Varianda a Medico, in uenenorum propinatorum correctione atque expurgatione, pro circumstantiarum diversa ratione, methodus medendi, varianda ita quoque, pro carum multitudine & pondere, a Iuris Consultis decisa & sententiae; nam si quadam impeniore iuuenis cuiusdam amore capta, totaque occupata, eidem philtrum, murtuum erga se con-

I 2 ciliari-

(y) lib. & loc. cit. (z) Saryra 13. (a) Digest, lib. 48. Tit. 19, leg. 28. (b) in Landrech; lib. 2. artic. 13.

ciliandi aenorem sine, uti capite quinquagesimo secundo indicauimus, propinaret, atque idem de temporaei natura ueneni participans tabem & mortem induceret, capit is poenam hic cum ratione dictari posse, haud credo; absuit enim animus occidendi, & impensus amor, amentiam inducens, talis flagiti fuit causa, adeoque arbitria poena iudicis iudicio relinquenda, hic saltem locum habet. Longe aliter idem comparatum, si aliquis, scopo perimendi, uenenum conficit & propinat, ille utique eam, quae supra adducta, si non grauiorem, mereretur poenam. Imo augenda & multiplicanda eadem, si filius uel filia matrem patrem ueue, aut plures homines iam sustulerit, in quo casu non modo rotac poena, sed fortior uellicatio, cudentibus instituta forcipibus, ordinanda.

LXVII. Idem poenae rigor obseruandus, si Medicus uel Pharmacopaeus, uenenum ea intentione, ut pereat, qui idem bibit, exhibeat; cum enim eorum officium sit, salutaria, in hominem prosperitatem, remedia conficiere & praescribere, ac quis talia ab illis desideret atque exspectet, dehinc nihil mali ab illis timeant homines, eaque, quae a Medicis ordinantur, omnis metus expertes, spe conseruandae uel recuperandae sanitatis, affumant, tanto grauiora euadunt scelerata, quanto difficilius caueri possunt. Haec animaduertens PLATO (<sup>c</sup>) leuiorem poenam iis, qui Medicinae ignari, uenena exhibent, duriorē Medicis ordinat, his usus: Ος ἀν Φαρμακεύη τινὶ ἐπὶ βλάβῃ, μηδ θανατίμῳ, μήτε αὐτῷ, μήτε αὐθεωπον τῶν ἔκεινα, βοσκημάτων δὲ η συμπὼν, εἴτε δίδυ βλάβῃ, εἴτε θανατίμῳ, εἰαν μὴν λαρξὸς ἀν τυγχάνειν, καὶ ὅφλη δικῆν Φαρμακίων, θανάτῳ ζημιάσθων εἰαν δὲ ιδιότης, οὐτε χειρὶ παθεῖν η ἀποτίσαι, τιμωτα περιαύτες τὸ διατίγον, id est: Qui non ad mortem hominis, sed per eorum aut examinum, ueneno uititur, sive etiam, ut aliter, quam morte bestiis noceat, si Medicus sit, & ueneficii reus fuerit iudicatus,

(c) Libr. II. de Legibus. p. m. 976.

catus, morte supplicium luat, si uero Medicinae ignarus, iudicium, quid pati dareue cum oportet, constituat. Si igitur Medicus, pecora uenenis occidens, capit is, secundum Platonis effatum, poena plectendus, qualis sententia, si homines perimit, ferenda?

LXIX. Quo aequior uero haec Platonis lex, eo iniquius mihi uidetur eorum Iurisperitorum placitum, qui affirmant, quod uenenum exhibens, si non moriatur exinde infectus, haud poena capit is, sed fustigatione, aut alia leniore, sit afficiendus, uti NICOL REVSNERVS (d) ANTONIVS GOMET (e) PETR a PLACH (f) & CARPZOVIVS (g) statuunt. Nam saepius a praesentanei usu ueneni reconualescunt aegroti, sed eorum sanitas minus constans est, & hoc modo in lentum & temporaneum uenenum degenerat virus remedii alteratum, non autem penitus subactum. Quis uero, his ita constitutis, cum propinans non modo habeat animum occidendi, sed etiam ueneno imbutus, qui iam sanus uidetur, & pristinae restitutus sanitati, praeterlapso anni uel duorum annorum spatio, in miserum, eumque incurabilem, corporis statum incidit, talem nebulonem, aura penitus indignum, a capit is poena absoluere. Hac certe ratione illi, qui temporanea uenena exhibent, cum per plures annos uiuant infecti, nunquam capite plectendi essent; nullus hic lenitati relinquendus locus, severitatem summam, summumque infitiae rigorem res ipsa flagitat. Perpendamus & imitemur laudabilem Iudeorum & aliarum gentium morem, qui illico eos, qui uenena parabant & possidebant, interficiebant, eo magis cum illis ita procedendum, qui eadem, scopo interficiendi, non conficiunt modo, sed hominibus quoque insontibus, quanquam irrito successu, propinant.

## T A N T V M .

(d) lib. 2. decif. ai. no. 24. (e) Tom. 3. uariar. resolut. cap. 3. no. 7.  
(f) In Ep. delict. lib. 1. cap. 20, no. 3. (g) Iurisprud. For. Rom. Sax. Part. 4. Constat. 18. defin. 7.

ΔΟΞΑ ΜΟΝΩ ΤΩ ΘΕΩ.

- O**mnia uenena sunt respectuosa.
2. *Varia uis solidorum, uariaque indoles fluidorum mutat uenenorū in corpore humano operationem.*
  3. *A robore cordis deriuanda actio uenenorū.*
  4. *Distinctio itaque in ueneno praesentanea & temporanea minus certa, dependens a uario machinae humanae statu.*
  5. *Adeoque quod huic praesentaneum, illi temporaneum est uenenum, & vice versa.*
  6. *Multo minus uera uenena terminata reperiuntur.*
  7. *Imo, quod huic uenenum, alteri medicamentum.*
  8. *Nulla dotar uniuersalis uenenorū antidotus, quoconque ueniat nomine.*
  9. *Sed optimā antidotus in rationali examine rum ueneni, tum subiecti ueneno imburi, & facta, secundum indicationem, remedii appropriati applicatione consistit.*

## ERRATA.

p. 50. lin. 12. pro praecripta, leg. praecripto, pag. 51. lin. 18. & 19.  
 pro aeres leg. acres, p. 52. lin. 6. pro duodecimo leg. uigesimo.  
 p. 52. lin. 7. post uocabulum adduximus, ponendum, differt, ad-  
 ditio puncto. p. 52. lin. 13. post uerbum, chymica, ponendum comma.  
 pag. 52. lin. 16. loco cyothus leg. cyathus. pag. 52. lin. 19. pro Li-  
 thargurium leg. lithargyrum. pag. 59. lin. 7. uocabulo, hefticas,  
 addendum comma. pag. 55. lin. 7. uerbo meditatur, addendum  
 comma. pag. 55. lin. 7. loco Italiani, leg. Italia. p. 56. lin. 2. loco  
 ipsius leg. iphiqus

## Ι Ι Α Τ

ΟΙΟ ΟΥ ΣΗΜ ΑΕΩΔ

WITTENBERG, Diss., 1730

4/2



sb.

1018







1227  
1730 20

DISSERTATIO MEDICO - IVRIDICA  
DE  
**VENENIS**  
TERMINATIS ET TEMPORANEIS  
QVAE GALLI  
*Les Poudres de Succession*  
(Successions = Sülverchen.)  
VOCANT  
QVAM  
P R A E S I D E  
**CHRISTIANO GODOFREDO  
STENTZELIO**

TORGAVIENSI  
ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTORE  
FACVLTATIS MEDICÆ ASSESSORE ET CHIR-  
VRGIAE PROFESSORE PVBLICO

DIE XXIV. MAI CIO IO CC XXX.  
IN AUDITORIO MEDICORVM  
P. P.

JOANNES GÖTHEL ARNOLD  
LOSVICENSIS MISNICVS.

VITEBERGAE  
LITTERIS EPHRAIMI GÖTHELB EICHSFELDII.